BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LXII
B
55
NAPOLI

G. H. 36.
S. S. D. M.
N.
LXIII
C
44

LXII-B.

Digitized by Google

Digitized by Google



Riſimus et nomen et formam. Tertull.


BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI

NOVA
VARIORVM SCRIPTORVM
CONLECTIO,

TAM
EDITORVM QVAM INEDITORVM, RARIORVM ETIAM, ET RECENS ELABORATORVM.

QVAE OMNIA INTEGRA DANTVR.

FASCICVLVS SECVNDVS.



HALÆ MAGDEB. A. MDCCXVII.

PROSTAT IN OFFIC. RENGERIANA.

NAPOLI

JOH. PHILIPPI HEINII

OBSERVATIONUM

QVIBVS

SACRÆ ANTIQVITATES, PHILOLOGIA, HISTORIA, ET VARIA CODICIS S. LOCA ILLVSTRANTVR

LIBER SECVNDVS.

ANNO MDCCXVII.

Digitized by Google

VIRO MAXIMVM REVERENDO, DOCTISSIMO,

FRIDER. WILHELMO SCHARDIO,

POTENTISSIMI PORVSSIÆ REGIS A SACRIS AVLÆ CONCIONIBVS, SACRI SENATVS IN DVCATV MAGDEBVRGICO A CONSILIIS, ECCLESIARVM EIVSDEM DVCATVS INSPECTORI, AC IN PRESBYTERIO ECCLESIÆ, QVAM VOCANT, REFORMATÆ ANTISTITI DIGNISSIMO,

MAGNO SVO SVORVMQVE STVDIORVM FAVTORI,

Salutem dicit plurimam

JOHANNES PHILIPPVS HEINIVS

Digitized by Google

DEDICATIO.

CVm alterum *obſervationum mearum* volumen in publicam lucem emitteretur, non diu hæſitavi, cuinam potiſſimum id conſecrare debeam opuſculi. Quippe animo indeſinenter obverſabatur illa BENEVOLENTIA TVA, VIR PLVRIMVM REVERENDE, abs TE mihi ab ipſo meæ Profeſſionis exordio frequenti occaſione, magnoque *beneficiorum* cumulo ſufficienter demonſtrata, quæ incitabat, imo præcipiebat, huic, quantulumcunque demum fue-

rit, libello, VENERANDVM LAVDATVMQVE TVVM in aditu præfigere NOMEN. Non quod iſta mentem ſubierit meam cogitatio, me hac ratione aut obligationis erga TE, VIR MAXIMVM VENERANDE, vincula ſolviſſe meæ, aut aliquatenus TVIS ſatisfeciſſe *benefactis*, minime gentium! cum id viribus meis editius lubentiſſime agnoſcam: Verũ, quod arbitror, publicam FAVORIS TVI prædicationem, & grati præſtare indicium animi, &, ſi non retribuendis, ſaltem agnoſcendis beneficiis promtiſſimi. Id ſcilicet velim TIBI certiſſime perſuadeas, MAXIME REVERENDE VIR, nullam ſive edacis rerum temporis injuriam, ſive annorum decurrentium ſeriem gratisſimam TVI *memoriam* animo evulſuram meo: qui ad id inter cætera multum enitor, ut & TIBI me probem, & meum in TE affectum ſubinde ſignificem. Cujus rei gratia, cum TIBI primario haſce obſervationes addicam, eas TIBi non diſplicituras, confido. Quanquam enim *rebus* immorentur *Criticis* ac *Philologicis*, TVA lectione non prorſus eas judico indignas, quia ſancta oracula, quæ inexhauſtum diſferendi fontem Theologis ac Philologis aperi-

periunt, materiem & argumenta ſuppeditarunt. Attamen *ſerenato* ut excipias *fronte* enixe rogito. DEVM TER OPTIMVM MAXIMVM, ſummum *Eccleſiæ ſuæ* DIRECTOREM, precor, ut TE, VIR MAXIMVM VENERANDE, Eccleſiæ, quam cura TVA paſcis, piisque ſermonibus ad emendandam in *Laodiceno* Seculi noſtri coetu valde neceſſariis erudis, in commodum, ad animarum ædificationem, multorumque ſolatium atque auxilium perquam diu cum HONESTISSIMA FAMILIA conſervet ſanum, ſalvum, incolumem, laboribusque TVIS ſucceſſus largiatur proſperrimos. Me, oro, meaque ſtudia in poſterum de meliori nota TIbI ut habuiſti, ſic habeas commendata. Vale, faveque.

PRÆFATIO.

LECTVRIS SALVTEM!

PRIMO *Obſervationum ſacrarum libello* dum *alterum* ea ſpe adjungimus, nec illum omni ex parte Viris doctis improbandum, lectoris benevoli patientiam iterum præfatione detineri minime opus foret, cum eadem methodo formaque diſſertationes procedant; niſi unum alterumve veluti in transcurſu monere neceſſum judicaſſemus. Principio nonnulli nobis crimini verterunt, nos, dum *obſervatione II. libri I.* cauſam *adductorum Adamo animantium* pertractamus, *Viri celeberrimi Herm. van der Hardt* idem argumentum ſingulari *diſſertatione* explicantis, nullam injeciſſe mentionem, cum id quandam Plagii ſuggerat ſuſpicionem. Verum exiſtimamus, qui hanc formarunt objectionem, non legiſſe. §. *V. præfationis noſtræ*, ubi ad eam in anteceſſum ſatis reſpondimus Fatemur, nos neſciviſſe *celeberrimi van der Hardt* diſſertationem. Hoccine nobis ſiniſtre interpretandum? Et quis tandem eruditorum glorietur

tur, omnium ſe doctorum vel minutiſſimos tractatus aut vidiſſe, aut tractaſſe manibus? Multo minus de nobis quis expectet talia, qui vix orbem literarium intravimus. Nec jetiam ad id nos neceſſario obligatos arbitramur, ut argumentum quoddam expoſituri, omnes & ſingulos in idem commentatos evolvere neceſſe habeamus. Inanis hoc eſt & infiniti laboris. Nos vero tempus nimis pretioſum opinamur, quam ut vanæ omnium libellorum inquiſitioni impendatur. De plagio vero qui cogitat, ille, ſi placet, noſtram *obſervationem* cum *Viri doctisſimi tractatu* conferat. Deinde ejusdem *obſervationis II. argumentum* Viris nonnullis gravibus, quorum magni æſtimamus memoriam, ideo non arriſit, quod cum *Sanctitate* Adami vix conciliandum videatur, illum, *eligendæ uxoris gratia* ad *bruta* fuiſſe ablegatum. Nos quidem, quorſum tendat illorum Virorum cogitatio non ignoramus: quam tamen, cum a ſcopo noſtro immane quantum abludat, eos non ex ipſa lectione, ſed ex inſpecto *obſervationis* titulo hauſiſſe coniicimus. Videlicet in illa ipſa, ex ſacrorum connexione verborum, ſatis clare oſtendimus, propter conjugem Adamo jungendam aggregata fuiſſe animantia. Diximus præterea, hominem ſui ſimilem inter beſtias non reperiſſe. Jam vero quare non reperit? Nimirum quia ut homo ſe cum bruto ſociaret fieri non poterat? Inde ergo mea ſententia patet: Deum

eam

eam ob rationem nequaquam Adamo præſentaſſe animalia, ut reapſe exinde ſibi conjugem ſeligeret. Abſit quam longiſſime! Verum ideo, ut videret, num homo inter iſta ſui ſimilem inveniret, deinde eandem non inveniens efficeret, ingenti ut verſus illam ferretur deſiderio. Quæ non ſolum noſtra, ſed *Theologorum* noſtrorum communis eſt ſententia. *Heideg. Corp. Theol.* p. 230. *Inter animalia ſic acri judicio perveſtigata non reperit Adamus adhuc μονάζων quod deſideraverat,* עזר כנגדו, *adjutorium juxta ipſum, vel ſimile Gen. II, 20. hoc eſt auxilium ipſo dignum, quod diligeret ſicut ſe ipſum, adeoque eſſet ejusdem naturæ.* Nempe Deus animantium paria condiderat. Paria dum perluſtrat Adamus, *μονάζοντα* ſe deprehendit. Quærit, quod ſibi deerat inter animalia. Non invenit, quod invenire non poterat. Et hæc hactenus. Lector benevolus omnia æqui bonique conſulat. Vale. Scribebam Halæ Magdeburgicæ, Febr. 22. Anno 1717.

Der Buchbinder ſchneide dieſes Blat ab/ und heffte ihn an gehörigen Ort.

INDEX
OBSERVATIONUM.

CAP. I. De *Saule* Rege annum nato, ex 1. *Sam.* XIII. 1.

II. De ænei *Diametro* maris.

III. De *Judæorum* in rebus Antiquitatis erroribus.

IV. De *Azazelis* appellatione.

V. De *Ononychoto*, Chriſtianis afficto Numine.

PRAEFATIO
AD LECTOREM.

EA praeſentis ſeculi facies, is rerum hodie in Germania inter eruditos habitus eſt, vt pueri ſenesque, maximi pariter ac minimi, docti indoctique, & qui modo literas pingere, vel calamum regere didicere, incredibili laborent ſcribendi pruritu, atque libros procudendi teneantur cacoëthe inſanabili. Florentiſſimum inde literarum ſtatum coniiciunt, quotquot eruditionem ex mole librorum, literatorumque copia metiuntur. Aſt aliter longe iudicant, quibus verae non fucatae eruditionis incrementum cordi eſt curaeque. Et ſane quam ſit parca eorum ſeges, quam exiguus illorum numerus, qui veſtigiis veritatum a maioribus repertarum inſiſtentes de nouis ſolum inueniendis, deque augendis ſcientiis ſolliciti ſunt, quiuis facile deprehendet rei paullo diligentior ſcrutator. In more quippe pleriſque poſitum eſt, exſcribere, non e ſexcentis aliis, ſed e duobus vel tribus, non antiquis & vulgo incognitis, ſed recentioribus

ipſis, eoque modo conſcribillare, libros, non exiguos, ſed ſpiſſorum menſuram voluminum implentes, eoque vulgi ſenſu commendabiliores, quibus ſæpiſſime tamen tantum non ineſt ſolidi, quod nuce caſſa emi mereretur. Illud profecto iuſtiſſimum multis dolorem affert, nouis iſtis inſipidiſſimis libris corruptos adeo eſſe plerosque, vt vix guſtum habeant verae eruditionis, nauſeentque fere vniuerſe ſcripta paululum antiquiora, egregia licet, maioribusque noſtris merito in pretio laudeque habita, & e quibus vnica pagella ſaepiſſime vaſtis praeualet neotericorum voluminibus. Quis aequo ferat animo, *Melanchtoniana, Sturmiana, Caſeliana, Camerariana, Neandrina*, aliaque doctisſimorum ſuperioris ſeculi virorum praeſtantiſſima opera tineas paſcere, & adeo contemta iacere, vt compluribus vix fama haec ſint cognita. Quoties non Grutero, Morhoſio, & eruditiſſimis quibusuis aliis in votis fuit, vt haec egregia ingeniorum monimenta, ſingulorum nomine, coniunctim ederentur, eaque ratione ab interitu vindicarentur! nec tamen, vtut inuenti ſint viri praeſtantiſſimi, hanc qui operam nauare cuperent, prae coeca nouorum tantum librorum adfectione, quae plerisque inhaeret, quicquam potuerunt efficere. Vt fidem dictis faciam, loquatur pro me vir Clar. IACOBVS BVRCKHARDVS, Illuſtr. Gymn. Hildburgh. P. P. Is ab aliquo iam tempore id egerat, vt colligeret iunctimque quibus-

busdam voluminibus ederet exquiſitiſſima Caſelii ſcripta, Reuchlini itidem & Agricolae Epiſtolas. At, quominus ſerio iam de exequendo laudabili propoſito cogitet, cauſſas ipſe nuper indicauit. (†) Prohibere nimirum, ait, ſaeculi noſtri iudicium, quod eius generis ſtudiis, quae Caſelius coluit, non adeo fauere videatur, quo etiam bibliopolae, ne ſumtus neceſſarios ferant, deterreantur. Hos enim, cum edenda illis haec commendauerit, ingenue ipſi confirmaſſe, pleroſque hodie e numero eruditorum non antiqua eiusmodi, obſoletaque, & opinione eorum abiecta, verum noua, recensque elaborata deſiderare. Ipſi quoque nouimus, *Conringiana*, *Sagitarianaque* nulla alia ex cauſa diſperſa neglectaque manere, licet aliquoties iam promiſſa fuerint coniunctim edi.

Parum diſſimile fatum cum experta ſit librorum rariorum, quam Groſchuffio debemus, Conlectio, idque mouerit Bibliopolam, vt poſt quintum eius faſciculum intermittere plane decreuerit continuationem, dici vix poteſt, quantum inde dolorem cepetimus. Itaque ne penitus concideret inſtitutum vtiliſſimum, alio rem conſilio aggreſſi ſumus, quod vt feliciori ſucceſſu gaudeat, eſt quod quam maxime votis expetimus. Huius vero conſilii ratio haec eſt. Indulgendum aliquid ſeculi noſtri genio credimus,

†) In praefat. libri, quem inſcripſit: *Medicus graviſſimus humanitatis ſtudiorum vindex*, editi Wolfenb. 1716. 8.

dimus, dandumque hoc eſſe,vt collectioni noſtrae non antiqua ſolum & quae minus hodie grata videntur, insereremus,ſed recentia etiam, vel nondum edita, vel a viris ſaltem fama omnibus adhuc notis, & haud diu mortuis, vel adhuc viuentibus, elaborata paſſim intermiſceremus; quo & eorum, quibus nouitate corruptus eſt guſtus, & eorum, qui iuſtam antiquitatis venerationem habent, ſatisfieret deſiderio. Praeter illa igitur, quae iam nominauimus ſcripta, *Reuchlini*, *Melanchtonis*, *Peuceri*, *Sturmii*, *Caſelii*, *Camerariorum*, *Neandri*, *Conringii*, *Sagittarii*, aliorumque tum Germanorum tum extraneorum eruditiſſimorum virorum, recentiorum etiam libellos breuiores, diſſertationes academicas, itemque nondum editas lucubrationes, admittere, noſtræque curae commendatas eſſe volumus; vbique non tam raritatis quam vtilitatis rationem habituri. Ea vero ſcripta, quae in Germania noſtra iam in volumina collecta facile comparari poſſunt, quo e. g. referenda veniunt *Böcleri*, *Obrechti*, *Kulpiſii*, *Zigleri*, *Iac. Thomaſii*, *Schurzfleiſchii*, *Hertiique* opuſcula, huc trahere religioni ducemus, cum & fini quem in animo habemus, contrarium ſit. Ceterum ex omnibus eruditionis partibus deprompturi ſumus, quae nobis videbuntur idonea, nec Philologica vel Philoſophica tantum, ſed Hiſtorica etiam, cum ſacra tum profana, Mathematica, Iuridica & Theologica exhibebimus.

Sed

Sed cum ipſimet omnia, quæ ad inſtitutum noſtrum faciunt, neutiquam poſſideamus, exorandi nobis hic ſunt decentiſſime cujuscunque ordinis eruditi, ſymbolas ut conferre haud dedignentur, & ſi quid habent vel antiqui vel recens ſcripti, quod vel editum ſit vel ineditum, vel ſi quid illis eſt obſeruationum á ſemet ipſis confectarum, quod nobiſcum communicare velint, facientrem non tantum nobis gratiſſimam, & de eruditione omni inſigniter merebuntur, ſed & nos ſpondemus, ea quae nobis transmittent, integra immutataque, mentione ſemper autorum honorifica facta, inſerturos, atque inſuper condignam beneficio vicem exſoluturos eſſe. Neque enim æquum vel honeſtum nobis videtur, ullius induſtria vel opera ita uti, vt emolumentum inde ſoli feramus; neque nobis, qui aliis ſolet, mos eſt, eruditorum lucubrationes oſtiatim quaſi ubique emendicatas Bibliopolae vendere, quo lucro nihil abiectius eſſe poteſt, vel magis ſordidum.

Quod ſupereſt, de contentis huius primi faſciculi quaedam praemonere neceſſe videtur. Primum hic merito principemque locum dedimus Viri eruditiſſimi, & in illuſtri, quod Halae eſt, Gymnaſio Profeſſoris Publici meritisſimi, JOANNIS PHILIPPI HEINII Obſeruationum ſacrarum primo libro, quem pro inſigni ſuo erga bonas li-

literas amore nobiſcum beneuole communicare voluit. ſequentium etiam librorum aliqua nobis ſpe facta. Eo magis quidem certe his gemmulis ornatum hoc primum collectionis noſtrae volumen gaudemus, atque de maiori inde operi acceſſura commendatione certiores ſumus, quo rariores ſunt, quae iisdem continentur obſeruationes, intimam profecto & linguarum & antiquitatum ſacrarum cognitionem ubique prodentes.

Proximum ab his locum occupat HERM. CONRINGII. *Aſſertio Juris Moguntini in coronandis Regibus Romanorum*, quae licet tertia vice excuſa prae reliquis tamen Conringianis inuentu hodie rarior fuit. Hic vero ad maiorem ſcripti lucem de occaſione illius & ceterorum quae in hac, quam tangit, diſceptatione prodierunt, paucula afferre eo magis videtur e re eſſe, quo minus adcurate pleneque hiſtoria litis & editorum ea occaſione ſcriptorum vel a Iuris Publici Doctoribus, vel a Clar. Struuio, Gryphioque traditur. Origo controuerſiae petenda eſt ex eo tempore, quo in Romanorum Regem eligebatur Ferdinandus IV. quod Ratisbonae ſuperioris ſeculi anno quinquageſimo tertio die $\frac{21}{31}$ Maii contigit. Nam cum inde coronatio eius inſtituenda eſſet, oborta eſt inter Moguntinum & Colonienſem, Archipraeſules, acris contentio de iure actum illum peragendi, & cum Moguntinus eo munere

nere fungeretur, Colonienſis ipſo coronationis die, qui $\frac{8}{18}$ Iunii erat, Contradictionem, *Proteſtationis* nomine, ſcripto exhibuit, mox etiam die 25. Iunii apud Imperatorem ea de re conqueſtus, literis hoc titulo inſignitis: Kurtze Information, warum Ihrer Churfürſtl. Durchl. zu Cölln den *actum coronationis Regis Romanorum* vor Ihro Churfürſtl. Gnaden zu Maintz zu verrichten gebühret. Reſpondit vero Moguntinus aliis ad Imperatorem literis, hac epigraphe notatis: ChurMaintziſche Erklärung *de dato* 8. *Iulii* 1653. deren von ChurCölln *ſub dato* 25. *Iunii* vorgebrachter *Rationum* wegen des Vorzugs bey der Königlichen Crönung; cui a Colonienſi iterum oppoſitum eſt ſcriptum, editum hoc nomine: ChurCöllniſche Antwort auf die ChurMaintziſche den 8 Iulii 1653. übergebene Erklärung *in puncto Iuris Coronandi*; ſed binis exceptum a Moguntino aliis, altero ſub notatione iſthac: *Breuis Recapitulatio* der ChurCölniſchen kurtzen Information zu einem hellern Licht der Chur-Maintziſchen Erleuterung; altero ita inſcripto: *Demonſtratio Moguntina inueterati circa coronatos Romanorum Reges uſus, & ius coronandi Regem Romanorum; ex Priuilegiis, Documentis, & Auctoribus non iactatis ſed productis, & temporum teſte, veritatisque luce, hiſtoria*, ſiue: Chur Maintziſche Erleuterung der Chur-Cölniſchen Antwort auf die Chur Maintziſche Erklärung vom 8. *Iulii* 1653. zu einer wenigen Offenbahrung des von dem Chur Cölniſchen Schrifftſteller in ſeiner/wie er ſie genennet/ Antwort auf die

Chur Maintziſche Erklärung / ſich zwar klüglich vorgeſetzten / gar nicht aber erreichten Abſehens. Scripta ſunt omnia, quae hactenus recenſuimus, lingua Germanica, & tria quidem priora, ſcilicet: kurtze Information &c. Chur-Maintziſche Erklärung &c. Chur-Cöllniſche Antwort &c. iunctim edita ſunt a Colonienſibus, praefixo hoc titulo: *Ius Coronandi Romanorum Regem.* Gedruckt zu Bonn / bey Henrico Ianſenio, Ihrer Churf. Durchl. zu Cölln geſchwornen Buchdrucker / 1656. 4. 4½ plagg. quam collectionem alia ſecuta eſt plenior, a Moguntinis evulgata, & ſic inſcripta: *Trutina circa Ius coronandi Regem Romanorum, aequo & candido lectori ad diſcernendum, ruminandum & decernendum propoſita, a. 1656. 4.* ſine loci mentione, alphabeto, quod vocant, integro conſtans, qua omnes ſupra recenſiti libelli ordine continentur. Miramur effugiſſe hunc librum diligentiſſimi Lunigii notitiam. Is enim, cum e Bibliotheca Senatus Lipſienſis habere facile potuiſſet, contentus fuit in nouiſſima Deductionum, ut vulgo dicuntur, collectione, Londorpium evoluere, qui tamen *Tom. VII. Libr. VI. c. 126. p. 48. cap. 127. ead. pag. & cap. 142. p. 61.* pariter ac Limnaeus *Iur. Publ. T. II. Addit. ad l. 3. c. 6. n. 3. p. 154. 155. 158.* nihil habet, praeter duo priora ſcripta: Kurtze Information &c. & Chur-Maintziſche Erklärung &c. & ne haec quidem integra, cum ab utroque omiſſum ſit Additamentum ſiue *Poſt ſcriptum* der Chur-Maintziſchen Erklärung.

rung. Cum vero, dum haec ſcriptis inuicem agerentur, vix anno a coronatione elapſo diem obiret ſupremum Rex Romanorum Ferdinandus IV. atque de ſurrogando ipſi Leopoldo conſilia conferrentur, acerbius longe & vehementius coepit recrudeſcere controuerſia, editaque tum fuere a Moguntinis eodem fere tempore, Anno ſcilicet 1655. duo ſcripta, alterum ἀνονύμως, (Autore vero Illuſtri ac Celeberrimo Boineburgio,) hoc titulo: *De iure coronandi pro Electore Moguntino Diſſertatio;* alterum Conringii, quod hocce iam faſciculo iterum edimus. Priori Boineburgii libro cum Colonienſes opponerent *Iteratas*, ut vocarunt, *Vindicias Iuris coronandi Regis Romanorum pro Archidioeceſi Colonienſi*, impreſſas *Bonnae, typis Henrici Ianſenii, Sereniſſ. Princip. Elector. Colon. Typographi iurati.* A. 1656. 4. 13. plagg. & *Iteratam* illis *Diſſertationem de Iure coronandi pro Electore Moguntino, contra* Colonienſes *Vindicias, Moguntiae ex Typographeio Nicolai Heyii, 1656. 4.* editam, $17\frac{1}{2}$ plagg. conſtantem, ſtatim reponeret illuſtris Diſſertationis Autor, nonnihil lentius autem, (verbis utor Conringii,) videretur illa prodire, quam res credebatur, poſtulare, denuo Conringius rogatus hac in re ſententiam dixit, ſcripto edito, cui titulum fecit: *Iteratarum vindiciarum Iuris coronandi pro Archidioeceſi Colonienſi Examen, quo ad Colonienſium Aduocatorum argumenta in anteceſſum breuiter reſpondetur*, quod recuſum poſtea fuit

Helmſtadii 1664. 4. $8\frac{1}{2}$ plagg. Verum nec ſic receptui cecinere Colonienſes. ſed Aſſertioni Conringianae duos Bonnae libros oppoſuerunt, alterum ἀνώνυμον, ita inſcriptum: *AntiConringiana Defenſio Iuris Colonienſis in coronandis Romanorum Regibus*; alterum aperte prodentem Autorem, Petrum quendam a Streithagen, Heinsbergi ac Cronenburgi Canonicum, qui libro titulum fecit: *Conringius ἐλεγχόμενος.* Utrique reſpondit Conringius in Caſtigatione, ut vocauit, *libelli, cui titulus: Anti-Conringiana Defenſio Iuris Colonienſis, in coronandis Romanorum Regibus*, cuius editio altera prodiit Helmſtadii 1664. in 4. $6\frac{1}{2}$ plagg. Meminit etiam Limnaeus *d. T. II. Addit. p. 171.* editas eſſe a Colonienſibus *Vindicias iteratarum Vindiciarum Iuris Coronandi pro Archidioeceſi Colonienſi*, de quibus vero alibi nihil legimus. In animo nobis eſt, ea quae hic nominauimus ſcripta, latino ſermone edita, ſecuturis collectionis noſtrae faſciculis inſerere. Sed cum Boineburgii *prior diſſertatio*, nec non *Anti-Conringiana defenſio*, tum Anonymi, tum Streithagenii, una cum *Vindiciis iteratarum Vindiciarum*, nobis deſint, obteſtamur qui haec poſſident, ut nobis ſubſidio eſſe ne detrectent.

Quae tertio loco comparet CASP. SAGITTARII *Diſſertatio* nulla praefatione eget. Quod autem attinet ad Diſſertationes, quae ſequuntur, FR. FLORENTIS, mouit nos ad earum editionem Celeberrimi, Doctiſſimique Gund-

Gundlingii commendatio, qua illas, cum in Aduerſariis ſuis nuper earum mentionem inijceret, proſecutus eſt, cui acceſſit viri non minus eruditiſſimi, Petri a Maſtricht, iudicium de raritate illarum, aperte profitentis, ſibi non licuiſſe inſpicere Florentis diſſertationem, etiamſi longe lateque conquiſitam. Edita vero ſunt omnia Florentis Opera, ſtudio I. Douiatii, Pariſienſis Anteceſſoris, & Iuris etiam, maxime Canonici, peritisſimi, collecta, Pariſiis M. D. C. LXXIX. duobus voluminibus in 4. cum antea quaedam ſaltem eorum prodierint, tum ſub titulo *Diſſertationum ſelectarum Iuris Canon. Pariſ.* 1632. in 8. tum ſub tit: *Tractatuum in nouem priores titulos libri primi Decretalium Gregorii IX. Pariſiis* 1641. in 4. Poſteriori huic libro praefixæ fuerunt diſſertationes, quas nunc recudi fecimus, & quae etiam inter Opera Autoris coniunctim edita principio ſtatim apparent. Erit fortaſſe, ut & alia Florentis noſtri, tractatum maxime illius *de uſu & autoritate Pallii*, itemque CIRONII *Obſeruationes Iur. Can.* noſtro inferamus opuſculo, quando & iſtas magni facere obſeruauimus Gundlingium, idoneum harum rerum, ſi quisquam eſt, aeſtimatorem iudicemque.

Ceterum de notulis, quas ſubiecimus Conringii, Sagittarii, Florentisque diſſertationibus, fatemur, eas omnes extemporaneas eſſe, nec eo conſilio additas, ut illuſtraremus vel comptiora daremus ſcripta, ſed ut ſolum

qui-

quibusdam in locis, quae poſt Autorum tempora ab aliis obſeruata ſunt, indicaremus. Diſtinximus illas ubique in fine litera S. a notis, quae ab ipſis Autoribus adiectae ſunt, ne confuſionis ullius anſam daremus.

Finem iam faceremus praefationi, niſi monendus eſſet lector de ſphalmate, quod caſu quodam in fine ſcripti Conringiani hoc faſciculo editi, commiſſum eſt. Cum enim iam ſub praelo id eſſet, accidit, ut perirent ultimae eius plagulae, quibus inſtrumentum tranſactionis controuerſiae de iure coronandi continebatur. Cum ad manus non ſtatim eſſet aliud exemplar Aſſertionis Conringianae, Londorpium conſuluimus, ex eoque deſcribi curauimus, quae pag. 156. ſeq. leguntur. Sed cum poſtea cum alio, quod nobis obtigit, ſcripti Conringiani exemplo conferre illa iterum licuerit, deprehendimus inſignem utriusque editionis diſcrepantiam, quae tamen ingrata ea de cauſa non fuit, quod hinc vera eſſe didicerimus, quae iam aliis obſeruata ſunt, eſſe ſcilicet non pauca in Londorpio, quae minus adcurate deſcripta incautiores facile in errores rapere poſſunt. Ne quid ergo ſit, quod conqueri iure poſſit lector, dabimus hic verba omnia, quibus utraque & Londorpii, (quem Diarium Europaeum forte ſeduxit, alii vero, & inter illos Pfeffingerus,

ſe-

ſecuti ſunt, & nos ſecuti ſumus,) & Conringii editio Tranſactionis illius differunt. Principium ſtatim ita immutandum ſupplendumque eſt:

Demnach zwiſchen denen Hochwürdigſten auch Durchleuchtigſten Fürſten und Herren/ Herrn Johann Philippen/ Ertzbiſchoffen zu Meintz/ des Heil. Römiſchen Reichs durch Germanien Ertz-Kantzlern / und Churfürſten / Biſchoffen zu Würtzburg und Hertzogen zu Francken; ſodann Herrn Maximilian Heinrichen/ Ertzbiſchoffen zu Cölln/ des Heil. Römiſchen Reichs durch Italien Ertz-Kantzlern / und Churfürſten / Biſchoffen zu Hildesheim und Lüttich / Adminiſtratorn zu Berchtesgaden/ in Ob- und Nieder-Bayern / auch der Ober-Pfaltz/ in Weſtphalen / zu Engern und Bullion Hertzogen/ Pfaltzgrafen bey Rhein/ Landgrafen zu Leuchtenberg / Marckgrafen zu Franchimont &c. zeithero ſich &c.

Cetera ſequentem in modum emendanda erunt:

Seine Churfürſtl.) Leg. Ihre Churfürſtl.

Ertzbiſchöffl. *Dioeceſi*) Leg. Cölniſchen Ertzbiſchöfflichen Provintz

Seine Churfürſtl. Gn.) Leg. Ihre Churfürſtl. Gn.

Der güldnen Bull nach) Kayſer Carls des vierdten güldener Bull nach.

Her-

Herkommens / und Gebrauchs / Beſitzung zuſchreiben wolte) Herkommens und Poſſeſſion attribuiren wollen

Beyderſeits Ihro Churfürſtl.) beyderſeits höchſtgedachte Ihro Churfürſtl.

Der Sachen Bedacht) der Sachen Vorbedacht

Guter Vertraulichkeit) guter Correſpondenz

Wann die Frage:) wann die Quaeſtio:

Beſagte Frage im Churfürſtl. Rath) beſagte Quaeſtio im Churfürſtl. Collegio

Des Kayſerl. Wahl-Eyds) der Kayſerl. Capitulation

Obuenerit) obuiauerit.

Unter dem 25. und 28. Titul / in dem Abſatz / ſo ſich anfängt: *Inuenimus*) tit. 25. vel 28. §. Inuenimus

Seinen Bezirck) ſeiner propria dioeceſi

Allein und fürnehmlich) allein und priuatiue

Da aber auſſerhalb) ob aber auſſerhalb

Bey-Biſzthümern) Suffraganeaten

Cöllniſchen Landſchafft) Cöllniſchen Provintz,

Umwechſelicht) alternatiue

Und dann von beeden) und denen von beyden

Be-

Bezircks) dioeceſen

Nur) eine

Beederſeits Landſchafften) Beyderſeits Dioeceſen

Alsdann ſolle es bey obiger - - - - beſt-möglichſt ſich dahin zu bemühen) alsdann ſollen bey obbemeldter Alternation Ihre Churfürſtl. Durchl. zu Cölln den Anfang machen/ worzu Ihre Churfürſtl. Gnaden zu Maintz / zu mehrer Bezeugung ihrer treuen freund-brüderlichen Affection, nicht allein ſich freywillig erklärt/ ſondern dabenebend auch des Erbietens ſeind, bey nächſter Wahl und deren Capitulation dahin beſtmöglichſt zu cooperiren

Der Bewirthung halber) der Accommodation halber

Ausleg- und Ausdähnungen oder Einſlickungen) explicationes, extenſiones oder limitirungen

Vorgenommen werden) attentiret werden.

Hochgedachte) höchſtgedachte / ita etiam Londorp.

Verträge) Receſs

Rechtgründliche Abſchrifft) Original

De die ſubſcriptionis notandum,in Londorpio poni den 25. Iunii 1657. pro quo eſt in editione Conringii den 16. Iunii des 1657. Jahres.

No-

Nomina etiam cum ſigillis hac figura iſtoque ordine a Conringio exhibentur:

L. S.	L. S.	L. S.	L. S.
Elect. Mog.	Elect. Colon.	Capit. Mog.	Cap. Colon.

Iam miſſa haec facimus, Teque, Lector beneuole, & bene valere, & nobis ſauere iubemus. Scrib. Lipſiae VI. Cal. Septembr. A. MDCCXVI.

JOHANNIS PHILIPPI HEINII
OBSERVATIONUM SACRARUM
LIBER SECUNDUS.

Cap. I.
NODUS VALDE PERPLEXUS I. SAM. XIII, 1. UBI SAUL REGNO ADMOTUS UNIUS ANNI ASSERITUR NOVA CONJECTURA SOLVITUR.

ARGUMENTUM.

Conjecturæ in locis difficilioribus S. Codicis non omnes improbandæ. §. I. Proponitur *loci* difficultas. *Saul annum natus regno admovetur*. §. II. Eaque adſtruitur, & claro lumini exponitur. §. III. IV. *Chaldaica* verſio exploditur. בן שנה *filius anni*, *innocentem* non notat. §. IV. *Rabbinorum* ſententia rejicitur. §. VI. *Lutheri* verſio examinatur. §. VII. & *Tremellii*; quarum neutra admittitur. §. VIII. *Gottlieb Reine* transfert בן שנה, *filium anni*, per *virum Grandævum*. §. IX. Refellitur hæc interpretatio. §. X. Locum non eſſe *corruptum*, quod *Scaliger* & *Caſtalio* volunt, docetur. §. XI. Locus tamen ſine *nota numerali*

ſanari nequit. §. XII. Quinque *axiomata* præmittuntur, de *modo* conſcriptorum voluminum ſacrorum. §. XIII. Libri *Samuelis* eodem modo ſcripti ac Libri *Regum*. §. XIV. *Regum* vitis *ætas* cum adſcribi ſoleat, *Saulis ætas* omitti non debuit. §. XV. Prophetæ ætatem Saulis conſignaturo *monumentum* defuit. Ratio ſcriptionis a Propheta peractæ. §. XVI. Ea amplius confirmatur, docetūrque, *cur Saulis ætas in obſcuro manſerit*. §. XVII.

§. I.

In Locis ſacri Codicis difficilioribus aliquid eſt conjecturis tribuendum, modo ejus ſint generis, ut vim nullam vel fidei analogiæ vel autoritati ſanctis oraculis debitæ inferant. Sunt nonnulli ex doctis adeo moroſi, ut, quicquid vel parum a Veterum placitis ac interpretationibus recedit, ſtatim ceu non orthodoxum diviniſque literis inimicum anathemate percellant. Hos precamur, ut ſi & noſtra iis diſpliceat conjectura, meliorem proferant, ad illuſtrationem textus, qui inter intricatos primam jure merito ſibi arrogat ſedem. Nec vanis expoſitionibus effugia quærant. Scopulum fruſtra ſuperare hunc tentavit ingens Criticorum cohors, ut mox elucebit. Nobis an felicius opus ſucceſſerit, æquis judicandum permittimus lectoribus.

§. II.

Divinus Autor 1. *Sam.* XIII, 1. ſcripſit: שאול בן שנה במלכו, i. e. *Filius anni Saul in regnare ipſum*, ad verbum. Vel clarius ad ſenſum, rejectis Idiotiſmis: *Saul* Annum Natus *erat, dum regnare inciperet*. Hem! *Saul annum natus?* Saul, quem pater

ter explorandis aſinis cum puero, quocum ſermones miſcebat, emiſit? Cui Samuel in convivio maximam carnis portionem appoſuit? quem regio muneri deſtinatum a Deo idem Propheta oleo unxit? qui ſtatura genti Iſraeliticæ univerſæ antecelluit, & filios generaverat, & robore præſtabat maximum? Illene Saul annum non ſuperabat dum regno admoveretur? Ita exiſtimandum omnino, pronuntiante ſacro Autore. Ais, verbis longe alium convenire ſenſum, diverſamque explicationem. Quod ſi ſic, in caſſum defatigaremur. At at nec aliter transferri debent, nec, quam uti diximus, poſſunt: *Saul* ANNICVLVS *Sceptrum capeſſivit*. Quod jam claro lumini exponemus, ut *Paradoxum* immenſum quibusvis appareat.

§. III.

Vocabulum בן *Ben*, quod alias *filium* ſignificat, quando voci *ætatis* vel *temporis* adjungitur, vertendum participio NATVS. Sic quia hic additur שנה, *Schana, annus*, בן שנה *Ben Schana* notabit, *eum, qui annum natus eſt*. Firmatur regula omnibus, quotquot ſacris in literis obveniunt, exemplis. *Exod.* XII, 5. *Agnus integer maſculus* בן שנה, *annum natus. Exod.* XXIX, 39. *Agni* בני שנה, ANNICVLI. Sic ibi ſæpius, & cæteris *Moſis* in libris. *Mich.* VI, 6. *Vitulis* בני שנה ANNVM NATIS. Plura congerere exempla ſupervacaneum exiſtimamus. Ipſi, ut lectores labore levaremus, & nobis ſatisfaceremus, ſingula percucurrimus, nec alium phraſios בן שנה deprehendimus ſenſum, præter eum, quem indicavimus. Ergo *Saul annum erat natus*.

§. IV.

Debuit omnino aliquando annum vixiſſe: verum hic *anniculum* habemus במלכו, *Bemolcho*, i. e. exactiſſime: *dum regnare inciperet.* Omnibus pariter locis hæc translatio corroboratur. Adducamus quædam. 1. *Reg.* XIV, 21. *Rehabeam* בן *filius annorum quadraginta & unius*, במלכו, DVM REGNVM INIRET. 1. *Reg.* XXII, 41. *Joſaphat natus annos* XXXV. במלכו *regnare coepit.* 2. *Reg.* VIII, 16. *Joram natus annos* XXXII. במלכו *ſceptro potiebatur.* 2. *Reg.* XII, 1. *Joas ſeptem annos natus regnum aggrediebatur.* Sic ubique. Itaque Saul etiam annum vixerat, dum ſceptro donabatur. Paradoxum intenditur, ſi animum pauliſper ad locum integrum attendimus: *Saul annum natus regnum inivit, duosque annos Iſraelitis imperavit.* Hic loquendi modus, ſi componitur omnibus iſtis, ubi de regum annis agitur, illis exactiſſime quadrat. En exempla. 2. *Reg.* VIII, 26. *Annos* XXII. *natus erat Achaſia, dum regnum inciperet, & regnavit annum unum Hieroſolymis.* 2. *Reg.* XIV, 2. *Amazias natus erat annos* XXV. במלכו *dum regnare inciperet, & regnavit viginti novem annos.* 2. *Chron.* XXXIII, 1. *Annos* XII. *natus Menaſſe* במלכו *in initio regni, & LV. regnavit.* Ecce nodum vere Gordium, & *Elia Vindice* dignum. Propoſuimus difficultatem, habeamus etiam Virorum doctorum, at quantum fieri poteſt breviſſimis ſolutiones.

§. V.

LXX. INTERPRETIBVS *Oedipus* defuit, quapropter locum integrum, veluti omnem medicinam re-

reſpuentem, deſecarunt, & in verſione omiſerunt. Chaldæus mire transfert: כבר שנא דלית ביה חובין בן שאול כר מלך i. e. *Sicut filius anni* (anniculus infans) *in quo non ſunt peccata, ſic erat Saul cum regnare inciperet.* Multis interpretibus hæc arriſit translatio, cenſentibus, verbis בן שנה *filius anni*, non *ætatem*, ſed *Saulis* indicari *innocentiam.* Nos tamen in conſenſum trahet nunquam, quibus tela perquam multa illi conficiendæ in promtu ſunt. *α*) *Samuelis* in libro legimus, Saulem fuiſſe בן שנה *filium anni*, non כבר *ſicut filium.* Et licet nos non lateat כ *Caph* interdum deficere, aliunde tamen defectus ille deprehendendus. At hic tantum abeſt, ut *Ellipſin* ſtatuamus, ut potius contrarium ſimilibus ex locis aperte pateat. *β*) Demus *Ellipſin*, ubinam gentium ſacris oraculis *innocens homo* בן שנה *filius anni* appellatur? Ad ſolam *ætatem* phraſis illa, non ad vitæ conditionem, non ad *innocentiam* refertur. Alias agni, & vituli בני שנה *filii anni* forent *beſtiæ innocentia prædita*, criminibus expertes. Scriptura ſe ipſam illuſtrat. Si בן שנה *innocentem* deſignat, ex Scriptura id probetur. Id quod nunquam fiet. *γ*) Undenam hauſit opinionem *Chaldæus* ſuam, in *infantibus* non eſſe חובין *culpas*, *peccata.* Hem infantes culpa deſtituti? Hæccine ſacro conſona verbo deprehenduntur. At *David* exclamat, *ſe in iniquitate natum & in peccato conceptum eſſe.* Et *Hiob* nos docet, *inter impuros purum non poſſe reperiri.* Erroneum ergo ſenſum affingit Targumiſta ſanctis vocabulis, non reperit. *δ*) Quid ſi veritati pugnet ſententia: *Saul innocen-*

tis inſtar infantis thronum aſcendit. Saul ſane a juſtitiæ tramite cito deflexit. Regiis quidem virtutibus Saulem non caruiſſe non negamus; attamen pravitate ingenii cor ſuum infecerat, quæ poſtea multorum ſe in exitium exſeruit: Nam & avarum fuiſſe actiones redarguunt, & invidioſum, & crudelis animi. Atqui vitia cordi ſe momento non ingerunt, quamvis cum ætate vires ſumant. Quocirca falſiſſime pronuntiatur, Saulem exordio regiminis ſcelerum immunem fuiſſe. ε) Denique declarandæ regis *innocentiæ*, hiſtoricus ſacer longe diverſa uſus phraſi fuiſſet, non ita a ſtylo conſueto abhorrente, quali, ex. gr. Autores librorum *Reg.* & *Chronic.* 2. *Reg.* XII, 3. *Fecit Joas* הישר RECTUM *in oculis Jehovæ.* Cur non: *Joas fuit annum natus.* Certe, quia immanis duas inter haſce locutiones ſenſus intercedit differentia.

§. VI.

RABBINORUM plerorumque mentem ex ore *Abarbanelis* nobis commemorat *Meyerus*, *Seder olam* p. 392. *Erit explicatio loci* 1. *Sam.* XIII, 1. *Filius anni erat Saul in regno ſuo, juxta verba interpretum, quod ab illo die, quo eum Saul unxit in occulto, donec venerint Gilgalem ad innovandum regnum, unus annus præterierit. Hoc eſt quod dicitur: Filius anni erat Saul in regno ſuo. Et duos annos regni ejus ſuper Iſraelem effluxiſſe refert, quando Saul ſibi elegit ex Iſraele tria millia virorum, qui ſecum ſemper eſſent in bello. v.* 2. Patulis a compluribus Chriſtianis hæc ſolutio auribus accipitur. Id quidem veritati conſentaneum, aliquid præteriiſſe temporis

inter

inter unctum & ſolenniter iterum Gilgale poſt fuſum Nachaſum conſtitutum Saulem. Verum negamus, illud temporis *anno* eſſe circumſcribendum. Etenim populus magna violentia Regem flagitarat. Regio munere Saul a Deo t. o. m. dignus æſtimatus, Samuelis opera ungitur 1. *Sam.* X, 1. quo facto populum ſubinde convocat Propheta v. 17. eique Regem exhibet, quem nonnulli acceptabant, multi contemnebant. Eo ipſo tempore Deus excitat *Nachaſum* Ammonitarum Principem, autoritati Sauli comparandæ: Nam cingentem obſidione urbem Jabes Saul aggreſſus fugat & funditus profligat. Statim populo indicitur a Samuele dies, ut renovaretur regnum Sauli, qui rebus fortiſſime geſtis autoritatem ſibi haud exiguam conciliaverat. Actu finito notatur: *Saul filius anni.* Jam manifeſtum eſt, omnia quæ narravimus duobus menſibus fieri potuiſſe nec etiam credi par eſt, Deum t. o. m. Regem ſuum autoritate & majeſtate per integrum annum exemtum voluiſſe. Sequitur *anni ſpatium* non abiiſſe Saulem inter unctum, & Gilgale reſtitutum: β) Phraſis בן שנה במלכו, non ſignificat, *Saulem jam per annum ſceptrum tenuiſſe;* Sed *Sceptro dum admoveretur*, ANNVM *ſolummodo* VIXISSE, qui ſenſus omnibus exemplis Biblicis adſtruitur. Alter ergo novus aliis exemplis confirmandus erit, quod Rabbinorum nullum feciſſe ſcimus. γ) Fruſtra connectuntur *poſteriora commatis primi verba*, cum *verſiculi ſecundi* exordio, quaſi ſcilicet Saul exactis demum annis duobus ter mille ſibi ſelegiſſet milites, bello Philiſtæis inferendo. Natio Judæorum ſub

tyrannide Philiſtæorum gemebat, a quibus armis exuti miſerrimum in modum affligebantur. Ut huic ſervituti eximerentur, Regem popoſcerant 1. *Sam.* VIII, 19. *Sit Rex nobis, qui nos anteeat, & bella noſtra gerat*, Crederetne aliquis, *Saulem* robore, fortitudineque Regem eximium & maxime bellicoſum, domi per duos annos, neglecto populo oppreſſo otioſum deſediſſe? Non ita eſt, profecto, non ita eſt. Verba ſecundi commatis fini verſus primi non adhærent, a quo *puncto* ſeparantur, indicio integram periodum primum verſiculum abſolviſſe.

§. VII.

Luthero nunc aures accommodemus: Saul war ein Jahr König geweſen / und da er zwey Jahr über Iſrael regieret hatte. &c. Pace D. *Lutheri*, verſio hæc ſacro oraculo non congruit, & ſenſu deſtituitur, & *Tautologia* afficitur. *α*) *Regem eſſe*, & *regnare* verbis, non re diſcrepant. Unum alterius in vicem ſine detrimento ſenſus ſubſtituitur. Ergo ſubſtituamus: Saul hatte ein Jahr regieret (i. e. war ein Jahr König geweſen) und da er zwey Jahr regieret hatte. Quam ἀπροσδιόνυσον? Cui bono prius Stichon: Saul hatte ein Jahr regieret. Nonne dicente Scriptura: Da Saul zwey Jahr regieret hatte / ſatis intelligeremus, Saulem etiam unum regnaſſe annum. Ita videlicet opinamur. Nam qui *duos* annos imperio præfuit, etiam *unum* præfuit. Atqui huiusmodi *Tautologiam* a Scriptura S. removemus, quæ nihil inutile, ſupervacaneum nihil proferre ſolet. *β*) Phraſis, בן שנה במלכו, uti probavimus, nullibi exponitur: *Annum regnaverat*.

At

ſed perpetuo: ANNVM *erat* NATVS, *dum regnum iniret*, γ) Error præterea verbis ineſt: Da er zwey Jahr über Iſrael regieret hatte. Vertendis nimirum: Und regierete zwey Jahr.

§. VIII.

TREMELLIVM in auxilium advocemus: *Agens primum annum Saul in regno ſuo* (*duobus autem annis regnavit ſuper Iſraelem*) *elegit ſibi* 3. *millia Iſraelitarum.* Translatio nihil abſurdi continet: at ſacris vocabulis non reſpondet. α) *Parentheſin*, qua verſus ultima verba incluſit, undenam adſtruet Tremellius? Certe in ſenſu non requiritur, & ab hujuscemodi loquendi formulis ſemper exulat. β) במלכו *Bemolcho*, non indicat, quod vult Tremellius: *in regno ſuo.* Verum: *dum regnare inciperet.* Hanc ſi ſurrogemus alteri phraſin, perit univerſa Tremelliana diligentia: *Agens primum annum, dum regnare inciperet.* Nimirum id eſt, quod volumus, *Saulem annum egiſſe* in principio regiminis. γ) *Actionem Saulis*, ter mille viros ex Iſraelitis ſeligentis, verſu ſecundo memoratam, Vir doctus *verbis prioribus commatis primi* annectit, quod ſi admittimus, falſis interpretationibus, in locis ſimilibus, quorum immanis obvenit numerus, ingens campus aperitur. Sufficiat unicum. 2. Reg. XV, 2. *Azarias* ANNOS SEDECIM NATVS, במלכו REGNVM INIVIT, *& regnavit annos quinquaginta duos; & fecit quod rectum eſſet in oculis Jehovæ.* Hæc jam more Tremelliano vertamus: *Azarias* AGENS ANNVM SEXTVM AC DECIMVM IN REGNO SVO (*LII. autem annos regnavit*) *fecit quod rectum eſſet in oculis*

culis Jehovæ. Itane per *quindecim* annos in impietate perſeveravit Azarias, & ſexto decimo ad Deum ſe convertit? Apage hanc expoſitionem! Sed eadem eſt in *Samuelis* libro locutio. Et enormem inter Tremellianam noſtramque verſionem diſtantiam vel coecus deprehenderet. δ) Denique ſi vera eſſet interpretatio *Tremellii*, ſic ſcripſiſſet 1. *Samuelis* voluminis Autor: *Saul regnavit annos duos. Agens vero annum unum* (vel primum) *in regno, elegit ſibi* &c. nec tamen ſic ſalvaretur phraſis, במלכו. Alias ut adducamus verſiones non opus eſt: his plerique adſtipulantur, nam & *Clericus Lutheri* illam retinuit, *Comment.* in 1. *Samuel. jam per annum regnaverat Saul in Jſraelem, & altero anno regnabat, cum elegit ſibi &c.*

§. IX.

Noviſſime Vir quidam haud indoctus, GOTTLIEB REIME, qui aliquot *diſſertationibus* Chronologiam Veteris Teſtamenti illuſtravit, longe diverſam a cæteris interpretibus tenuit ſemitam. Hebræi, qui *adjectivorum* laborant *caritate*, in locum ſubſtantivi cum adjectivo geminum ſubſtantivum, abſolutum alterum, alterum conſtructum ſufficiunt. Ita *Vir juſtitiæ*, *Virum* innuit *juſtum*, & *virga ferri*, *ferream virgam.* Eadem ratione exiſtimat *Cl. Reime* בן שנה i. e. *filium anni*, æquipollere, *filio annoſo*, vel, quod latinius, VIRO GRANDÆVO. *Vir grandævus erat Saul, cum regnare inciperet.* Nam & בן *filium* aliis in loquendi formulis pro *Viro* ſumi, & *ſingularem* שנה *annum*, pro *plurali* שנים, *annis. Gen.* XLIX, 22. *Filius foecunditatis*, dicitur *Vir*

Vir fœcunditatis, vel *vir fœcundus. Filius percuſſionum Deut.* XXV, 2. eſt *Vir plagis dignus.* Et *Pſ.* XXXIV, 3. *Petra fortitudinis*, *Petra fortitudinum*, vel fortiſſima. Unde exclamat: *Quidni ergo ex hoc loquendi modo illuſtraremus, & lucem affunderemus noſtro* LOCO, *qui per* EXPLICATIONES *hactenus* TRADITAS EST, ET MANET INTRICATVS. *Cur non reddimus* בן שנה VIR GRANDÆVVS? *Reddemus & aptiſſimus commodiſſimusque evadet ſenſus.*

§. X.

Non nos ii ſumus, qui negemus, *Saulem* jam *natu magnum*, annis & robore præditum, regium capiti Diadema impoſuiſſe, cum & imperii cura, & gerenda bella, & majeſtas *Virum* requirant, non *puerum*, non adoleſcentem. Animum tamen noſtrum eo adigere nequimus, ut ſententiam, quam *Vir doctus* excogitavit, amplectamur, quandoquidem, quæ adducit argumenta, pondere carent, & facile refutantur. α) Fatemur בן שנה *filium anni*, Hebraiſmo affici, & nomen poſterius per adjectivum reddendum. Quod ſcilicet ipſum §. III. adſtruximus eſſe, ANNICVLVS, & *filium anni*, *filium anniculum*: teſtibus quibuscunque ſacri Codicis exemplis. Jam ſi בן שנה quoque *grandævum* deſignat virum, id in ſolo, quem tractamus, loco fieri neceſſe eſt. Quonam vero argumento Autor id nobis perſuadet? Profecto phraſis, quæ vel millies eodem recurrit ſenſu, uno in loco diverſum quid nonſonat, niſi clariſſimo indicio (quod hic deeſt) contrarium evincatur. β) בן שנה proprie *filium* AN-

NI,

NI, non *filium* ANNORUM ſignificat. Atqui *filius anni*, & *filius annorum* immenſo ſpatio diſcrepant. Autor cl. hinc ſe facile emerſiſſe cenſet, cum *pluralis* in vicem Scriptura S. ſæpius *ſingularem* ſubſtituat. Idem & nos credimus. Nempe in nominibus *collectivis*, uti Grammatici docent, ut *arborem*, pro *genere arborum*, *beſtiam*, pro *beſtiarum genere*. Non in omnibus promiſcue. Probandum eſt, num שנה in ſingulari, adhibeatur, pro שנים in plurali, *annus* pro *annis*, id nego factum aut fieri poſſe. Fit quidem, quando cum *nominibus numeralibus* conjungitur, dicitur enim ארבעים שנה. At de hac re non quærimus. Nam *numerale* nomen multitudinem ſatis manifeſtat. Quærimus, num alias *annus* uſurpetur pro *annis?* Ne fiat! Scripſiſſet Codex Dei, Regem quendam regnaſſe *annum unum*, nos vero plures vellemus intelligere. Quanta temporum confuſio, ſi *dies* diceretur pro *diebus*, *annus* pro *annis*, *ſæculum* pro *ſæculis*. Adducta Autori exempla fruſtra hic citantur. Ait, Joſephum dici, *Virum fœcunditatis*, i. e. *fœcunditatum*, vel *maxime fœcundum*. Admittimus *maxime fœcundum*. Sed inter *maxime fœcundum*, & *virum fœcundatum*, ea eſt differentia, quæ inter locutionem elegantiſſimam, & intolerabilem Soloeciſmum. Hui *Vir fœcunditatum*! Quotnam igitur *fœcunditates* exiſtunt rerum in natura? Ego olim didici huiusmodi nomina qualitatis plurali deſtitui. *Maxime fœcundus* nihil nos juvat. Quoniam Saul non MAXIME erat ANNOSUS, ſed בחור VIR JUVENIS, in flore ætatis. 1. Sam. IX, 2. Ejusdem commatis alterum eſt *Pſ.* XXXI, 3. *Petra fortitudinis*, i. e. *fortitudi-*

dinum, vel *fortiſſima.* Hem *fortitudinum*? nomen virtutis in plurali? Nihil *ſuperlativo* juvamur. Unde tandem eluceſcit, indicandæ ætati provectæ Saulis ſcribendum בן שנים, non בן שנה. γ) Cum ſacra ſcriptura alias & in promtu habeat phraſes, & in uſum vocare ſoleat, *ſenectuti* hominum deſignandæ, merito rogamus, quamobrem in textu noſtro eoque ſolo, conſueta relicta via, adeo inſolenti, & obſcuriſſima ſit uſa. De Davide in ſenectam vergente ſcribitur 1. Reg. I, 1. המלך דוד זקן בא בימים *Rex David ſenex ætate gravis erat.* Sic fere ubique. Cur non & hic: שאול זקן בא בימים, *Saul ſenex ætate provectus erat*, במלכו *dum regnare inciperet.* Nempe quia aliud eſt בן שנה *filius anni*, aliud זקן *ſenex*, quæ ut oppoſita ſibi maximopere diſtant. Itaque fruſtra Cl. *Reime* huic loco medicinam paravit.

§. XI.

Viri eruditiſſimi, videntes, vulgaria hic medicamina ſperni omnia, enſe nodum ſecarunt. Statuerunt, locum corruptionem ſenſiſſe, notamque numeralem inter בן & שנה deperditam. Nimirum cum in vetuſto *Scholiaſte* Græco, quem *Druſius* allegat, reperiatur: Υἱὸς τριάκοντα ἐτῶν Σαοὺλ ἐν τῷ βασιλεύειν αὐτόν. *Filius* ANNORVM TRIGINTA *erat Saul*, *cum regnum inchoaret.* Autumat *Scaliger*, in Hebræo codice olim ſic fuiſſe ſcriptum: בן ל שנה שאול, *filius 30. annorum Saul.* Lapſu deinde temporis illud *Lamed*, notam numeri XXX. intercidiſſe. At Scaligeri conjectura hæc facili negotio refellitur: α) Quia olim numeri non *literis*, ſed

ſed integris exprimebantur *vocibus*. Vocem vero integram excidiſſe, nullatenus concedimus. β) Veroſimilitudinis multum habet, Saulem plusquam XXX. extitiſſe annorum, ſolium conſcendentem, quia filiis gaudebat natu magnis. Audacior *Caſtalio* diſerte corruptionis locum accuſat: *Apud Hebræos*, inquiens, *ſic ad verbum legitur*: *Natus annum Saulus, cum regnum inivit, & duos annos regnavit, -- Dicendum foret, non natus annum, ſed natus annum unum. Solent enim Hebræi numerum exprimere, etiam cum de uno loquuntur. Præterea ſupplenda eſſent nonnulla, id quod locum reddit ſuſpectum. Solet autem in his libris regum ætas, & regnandi tempus initio narrationis rerum ab eis geſtarum poni, ut lib.* 2. *Sam.* c. 2. --- *Itaque arbitror, hoc in loco ſcriptum fuiſſe quot annos natus Saulus regnum iniverit, quotque annos regnaverit. Sed locum eſſe mutilatum.* Hæc Caſtalio. α) Error eſt Caſtalionis, cenſentis, numerum *unitatis* Hebræis continuo exprimi. Nam *Exod.* XII, 5. vocatur agnus anniculus בן שנה *filius anni*, non בן שנה אחת *filius anni* VNIVS. β) Valde percellit aures noſtras effatum: *Locum eſſe mutilum*, cum fides noſtra, verbique divini autoritas omnino jubeat, ut credamus, illud ad nos tranſiiſſe incorruptum, non mancum, nec depravatum.

§. XII.

Ergone locus ille nulli mortalium perveſtigandus, ſempiterna involvetur caligine? Non ita videtur, nam & hiſtoricam recenſet circumſtantiam, & myſterium humano intellectu altius non continet. Liceat

ceat igitur nos aliquid tentare α) Hoc certiſſimum, quod ſi nota *numeralis* quæcunque inter בן & שנה collocetur, eo momento, depulſa nocte locum controverſum intellectu evadere facillimum, & nemini offenſam præbere. E. gr. Scriptum eſto: בן ארבעים שנה שאול במלכו *Filius* ANNORUM QUADRAGINTA, *vel natus annos XL. Saul erat, cum regnum iniret, & biennium regnavit.* Nodum in ſcirpo quæreret, hic qui ſcrupulum movere vellet. β) Præterea, ex eo quod demonſtravimus, certiſſimum, textum noſtrum indiſſolubili vinculo conſtrictum, ſolvi vix ac ne vix quidem poſſe, niſi *nota numeralis* nobis ſubveniat. γ) E contrario tamen, non exiguam ſacris literis injuriam inferremus, ſi aliquid vel *intercidiſſe*, vel locum corruptioni ſubjicere ſtatuerimus. Quid ergo faciendum inter incudem & malleum conſtitutis: Elabemur videlicet, ſi oſtendere poſſemus, *deeſſe loco numerum, ſacris tamen oraculis nullam idcirco omnino ineſſe aut corruptelam aut mutilationem.* Hem, ais, deeſt aliquid & non deeſt, id oſtendi volumus!

§. XIII.

Age, accingamus nos certamini. Aſſerendo Theorematî, quædam præmittimus *axiomata*, indubiæ veritatis, quibus, veluti fundamentis, ſententia noſtra ſuperſtruitur. I. Sacra oracula DEO *t. o. m. Autore* exarata, & Eccleſiæ fidelitati concredita ore confitemur & animo. 2. *Tim. III*, 16. *Rom.* III, 2. II. Conſcribendis ſanctis voluminibus Deum t. o. m. vel EXTERNE citaſſe nonnullos homines ſanctitate & mentis integritate præſtantes, vel

INTERNO cordis inſtinctu impuliſſe. *Moſi* præcipit Numen: SCRIBE *omnia verba hæc. Joſua* non juſſus, (incitatus tamen) *ſcripſit omnia verba in libro legis. Joſ.* XXIV, 26. III. Deum t. o. m. *Oretenus* ſanctis Scriptoribus PAUCA dictaſſe, cæterum iisdem *indubia* ſuppeditaſſe *monumenta*, componendis operibus ſacris. Sic *Lucas*, Evangeliſtarum doctiſſimus, in exordio *Evangelii*: *Quoniam multi conati ſunt inſtituere narrationem rerum*, *quæ inter nos acciderunt*, *ſicut tradiderunt nobis*, *qui ab initio ipſi viderunt*, *& miniſtri fuerunt ſermonis*, VISUM EST ET MIHI, *ordine hæc ſcribere.* Et Joannes: *Quod* VIDIMUS *&* AUDIVIMUS, *nunciamus vobis.* IV. Tametſi *librariis* ſuis Deus t. o. m. ab erroribus caverit, permiſit tamen, quisque ut ſecundum *ingenium*, *dialectum*, & doctrinam ſuam ſcriberet. Hinc *ſtyli varietas. Jeſaias* inexhauſto eloquentiæ flumine Prophetias detonuit, quæ *Amoſo* defuit. Quia ille ſcilicet nobiliori ſtirpe procreatus, ſtudiis operam dedit, quæ hic, utpote paſtorum de grege neglexit. *Lucas Marco* ſcripſit *melius*, videlicet quia doctior. V. Quia quoque *ſcribendi ratio* pro viciſſitudine *temporis* variat, non interceſſit ſummus Deus, quo minus & *tempori* & *receptæ conſuetudini* ſe Prophetæ ſui accommodarent. In libro *judicum* aliter hiſtoriæ recenſentur, ac in libris *regum*. In V. T. inſtruendæ Eccleſiæ David *Pſalmos* condidit, in N. T. Paulus *epiſtolas*.

§. XIV.

Progrediamur porro, ut ſcopo appropinquemus. Noſtro judicio, *bini*, quos vocant, *Samuelis*

libri,

libri, eadem forma ac methodo conſcripti ſunt ac *Libri Regum.* α) Quoniam tam hi, quam illi *Regum* Judaicorum *vitas* commemorant. β) Quia priſcis temporibus *Libri Samuelis* & *Regum* eodem ordine & uno ſub nomine recenſebantur. LXX. interpretibus *Libri Samuelis* nuncupantur *primus* & *ſecundus Regnorum*, *Libri Regum*, *tertius* & *quartus* Regnorum. Eodem modo verſioni vulgatæ. γ) Quia *Libris Samuelis* pariter ac *Regum* Autores exiſtunt *Prophetæ.* 1. *Chron.* XXIX, 29. *Res geſtæ Davidis ſcriptæ ſunt in verbis Samuelis videntis*, *Nathanis & prophetæ Gad videntis.* 2. *Chron.* IX, 29. *Res geſtæ Salomonis ſcriptæ ſunt in verbis Nathanis Prophetæ*, *in Prophetia Achijæ Silonitæ*, *& in viſionibus Jehdonis videntis.* δ) Quia *ſtyli* in utrisque *æqualitas* eſt & convenientia. Hisce, utpote veritati non diſſonis, aſſumtis, obſervandum, Prophetis illis vel divinis hiſtoricis in more fuiſſe poſitum, in principio vitæ Regis, ſimul & illius *ætatem*, & *regiminis annos*, & *mortis terminum* lectorum oculis ſubjicere. Id vitis Regum omnium (ſi excipias illos 10. tribuum poſt ſciſſionem Regni) confirmatur. De *Isboſetho* Saulis filio legimus 2. *Sam.* II, 20. *Annos natus erat 40. Isboſeth dum regnum inchoaret ſuper Iſraelem*, *duobusque annis regnavit.* Eadem phraſi de *Davide* 2. *Sam.* V, 4. de *Rehabeamo*, 1. *Reg.* XIV, 21. & ſic porro.

§. XV.

Hinc juſta nobis enaſcitur ſuſpicio, quæ argumenti vim obtinet, ut jure merito quæramus: Cum Prophetæ Regum, quos diximus, omnium, annos

vitæ imperiique magna cum diligentia annotaverint, qui tandem factum, *ſolo ut in Saule hoc omiſerint?* Nullam, quod firmiter credo, mihi quisquam hujus rei aſſignabit rationem. Quapropter eo delabimur, ut ſtatuamus, omnino Prophetam Saulis annos poſteritati voluiſſe tradere, ne ſcilicet a ſcribendi more deflecteret, & anomali aliquid committeret. Atqui, ſi verba, circa quæ noſter ſermo occupatur, id quod volumus non continent, vana erit univerſa, & ſupervacanea inquiſitio. Revera autem in iisdem *annos vitæ* & *regiminis* latere, ex Parallelismo cum alio ejusdem formæ loco luculenter patefiet.

SAVL	JSBOSETH
בן ( ) שנה שאול במלכו ושתי שנים מלך על ישראל:	בן (ארבעים) שנה איש בשת במלכו על ישראל ושתים שנים מלך:

Non ovum ovo ſimilius, quam hæc ſibi verba, quæ Latio reddimus.

SAVL.	JSBOSETH.
Filius ( ) *annorum erat Saul, dum regnare inciperet, & duos annos regnavit in Iſraelem.*	*Filius* (QVADRAGINTA) *annorum erat Iſboſeth, dum regnare inciperet in Iſraelem, & duos annos regnavit.*

Æquitatem lectorum obteſtamur! Perpendant, quæſumus, an fieri ulla ſana queat ratione, iisdem ut vocibus, phraſibusque, res adeo diſtinctæ innuantur, quas interpretes volunt. Fierine queat, ut

ut בן שנה ſub Isboſetho notet, *natum tot vel tot annos*, ſub Saule vero aut *virum grandævum*, aut *innocentem*? ut במלכו ſub illo ſignificet, *in regni initio*, ſub hoc, *regnaverat*, *regnaſſet.* Nequaquam id fieri poteſt. Quonam alias modo ſacræ Scripturæ ſuus conſtabit ſenſus, ſuave autoritas, ſi pro lubitu licet phraſibus iisdem diverſiſſimas affingere notiones? Ergo iterum liquidiſſime conſequitur, deficere numerum inter בן *filius*, & שנה *annus.*

§. XVI.

Scilicet, ut conjecturam depromamus, Propheta, Vitam Saulis conſcripturus, ex more Regis illius ætatem, annos regiminis, mortemque memoriæ mandare in animo habet. Inſit: בן, *Ben*, *Filius* -- Hæret, *ætatem Saulis* nullo in monumento, quod ad manum erat, expreſſam reperit, nec tamen notabilem hanc circumſtantiam vult omittere: Itaque aliunde defectum ſuppleri poſſe cenſens poſt בן neolam ducit, defectus indicem, & in oratione pergit שנה - - - בן *Filius* - - - *annorum.* *Volente Deo*, nulli codices extant, quibus *ætas Saulis* contineretur. In ipſa perquiſitione Propheta moritur. Relinquitur in primis ſacrorum Bibliorum codicibus interſtitium vacuum. Cauſa ſenſim in oblivionem venit. Lineola in *Maccaph* degenerat: & ſic jactura non animadvertitur. Quid ſi dicamus, a LXX. vacuum animadverſum, ſed locum, utpote imperfectum, & a nemine mortalium ſupplendum, omiſſum eſſe?

§. XVII.

Hæc circa locum noſtrum eveniſſe conjicimus.

Ut vero minimum dubii lectoribus relinquamus, ad ſequentia animum adhibeamus. I. Facta eſt *omiſſio* ſupremo *Numine dirigente*, quod ut ætatem Saulis ad thronum promoti ſciremus noluit. II. *Saulis ætas* tabulis vel Annalibus ſacris inſcripta non eſt, quia *privatum* egit, & ad ætatem fortean ipſe non attendit. III. *Propheta* non erat *omniſcius*, ut ætatis Saulis ignarus, ſtatim etiam pervideret, neminem hominum illam memoria recondidiſſe. IV. Præterea *occiſo* demum *Rege* vitam ejus in Annales retulit ſacer hiſtoricus. V. Noluit hæc verba prætermittere, ne a *ſolida ſcribendi via* ſecederet. VI. Nec erravit, quia alicuius rei ignorantia, erroribus non additur. VII. Regum anni deinceps ſuccedentium, exacte ſunt commemorati, quia ad Regum Principumque nativitatem attendimus. VIII. Denique ſi quis diceret, inventum meum tanti non eſſe, ille in memoriam ſibi *Columbi*, qui novum detexit orbem, hiſtoriam revocet.

CAP. II.

DE ÆNEI DIAMETRO MARIS DISSERITVR, OSTENDITVRQVE, ILLAM NON ESSE DIAMETRVM PERIPHERIÆ XXX. CVBITORVM EIVSDEM MARIS, CONTRA VVLGAREM OPINIONEM.

ARGVMENTVM.

OBjectio Antigraphorum, ex *Diametro maris ænei* depromta, §. I. A nonnullis refellitur eo, quod ſcriptura ſoleat quandoque *minutius* negligere. §. II. Ab aliis

...iis maris *Peripheriam mechanice* eſſe menſuratam. §. III. A quibusdam, maris *formam* fuiſſe *ſexangularem*. §. IV. Quibus omnibus ſolutionibus rejectis, demonſtratur, *Diametrum a ſcriptura non haberi pro diametro peripheriæ XXX. cubitorum*. §. V. Idque clarius ob oculos ponitur, & calculo approbatur. Impia *Spinozæ* vox deteſtata. §. VI.

§. I.

Non deſunt, qui, ſiquando nonnulla problemata mathematica a limine ſalutarunt, & fortean etiam *Diametri* ad *Perimetrum* proportionem memoriter edidicerunt, cum audiunt, Maris *ænei* Salomonis mandatu fuſi, *lineam diametralem* cubitorum extitiſſe *decem*, circumferentiam vero cubitorum *triginta*, tenui ſcientia inflati, ac ſanctorum oraculorum contemtum præ ſe ferentes, magno cum faſtu erumpunt: Ubinam, quæſumus, jactata illa Scripturæ Autoritas, falli, & fallere neſcia? En vobis manifeſti erroris luculentum ſpecimen! Siquidem *Diametro* circuli decem cubitorum exiſtente, *Peripheria* nequaquam, ſecundum ſcripturam XXX. complectetur, verum XXXI. cum $\frac{2}{7}$, quod Geometrica certiſſime demonſtratione pateſcit. Fateamur ergo neceſſe eſt, vel ſcriptorem ſacrum hic aberraſſe, vel Salomonem ejusque artifices Geometriæ non admodum extitiſſe peritos.

§. II.

Varie inſulſam hanc objectionem exceperunt ii, quibus cœleſtium literarum integritas curæ eſt cordique. Complures regeſſere, *minutias* hujusmodi

ſcripturam ſ. negligere. *Petrus Martyr Comment* p. 47. *Dicitur ambitum fuiſſe XXX. cubitorum: verum addenda fuiſſet Diametri ſeptima pars, atque ita paulo eſſet latior ambitus. Cæterum ſcripturæ mos eſt, ut* MINVTIAS *haſce non perſequatur.* Non abludit *Torniellus Annal.* an. 3030. n. 3. *Diametralis latitudo expanſionis ejus* (maris) *erat cubitorum decem, ita ut funiculus triginta cubitorum* (ſupple ET VNIVS FERE SEMIS) *ambire poſſet gyrum ejus: Siquidem juxta Geometriæ regulas, diameter triplicatus, cum ſeptima ſui parte, totum ejus circulum ambit. Scriptura autem hic, ut alias non ſemel numerum* PERFECTVM *pro* IMPERFECTO *uſurpavit.* Non diffitemur hujus moris obſervari ſacris in literis exempla quædam: at at, cum Auctores divini in dimetiendo tabernaculo, etiam templo, exactiſſime menſuram definiverint, ne *dimidio* quidem *cubito* omiſſo, huic ſolutioni aqua hæret, nec adverſariis ſatisfaciet.

§. III.

Contendunt alii, Peripheriam *mechanice* dimenſam eſſe. Quandoquidem deprehenditur Semidiameter ſive radius *ſexies* circino in circumferentia circumlatus, hanc accurate emetiri. Jam maris *ænei* Semidiameter cubitos exæquabat quinque. *Sexies* vero *quinque* ſumtum, *triginta* producit. Qua quidem reſponſione obloquentibus os ſatis obturari poſſet, quoniam & experientiæ innititur, & mechanicorum conſuetudini. Ne tamen ulla omnino cavillandi occaſio hoſtibus monumentorum ſacrorum relinquatur, diſpiciendum, nonne alia ſuppetat conciliatio,

con-

Digitized by Google

ontra quam nemo, niſi cui frons periit, hiſcere audeat.

§. IV.

Huc quod Cl. Relandus Antiq. p. 55. habet, ſpectat: *Figuram habuiſſe* (mare) *rotundam, ſacer codex tradit* 2. *Chron.* IV, 2. *& labium ejus inſtar lilii repandum fuiſſe*, 1. *Reg.* VII, 26. *Quum autem lilia, Schoſchannim*, שושנים *a ſex foliis nomen habeant, videtur labium hujus vaſis ſex quaſi folia repræſentaſſe, aut ſex ſpatiis, quinque cubitos a ſe invicem diſtantibus, inciſum fuiſſe, proximeque acceſſiſſe ad hexagonum. Atque ita Diameter cubitorum* 10. *conveniet cum peripheria cubitorum* 30. *quoniam diameter circuli, cui hexagonum inſcriptum eſt, ſi decem habeat cubitos, quodlibet latus hexagoni dabit quinque, adeoque ſex latera efficient triginta.* Nec elegantia, nec ingenio caret hæc conjectura, quam *Cl. Deylingius obſerv. ſacr.* lib. I. p. 68. propugnandam ſuſcepit, cui lubentiſſimo animo aſſenſum præberemus, niſi alia nos momenta retraherent. Corpus maris ROTVNDVM עגול, non *hexagonum* fuiſſe, ſacra monumenta nos docent, 1. *Reg.* VII, 23. Atqui ſi corpus ipſum rotunditate gaudebat, qui margo extremus, vel labium, ex ſtylo Scripturæ, hexagoni figuram æquabit? Sed ipſam labii deſcriptionem apprehendamus 1. Reg. VII, 26. *Labium erat* כמעשה שפת כוס פרח שושן, *veluti opus labii calicis, floris lilii.* Gemina ſtatuitur ſimilitudo, quibus maris margo conveniebat. Comparatur labio calicis ſuperno, comparatur etiam *flori lilio*, vel, ſi mavis, *labio floris lilii.* In figura marginis utraque ſervanda venit ſimilitudo, &

calicis, & *lilii*. Verum ſi juxta Autores clarr. labium maris ſex quaſi folia lilii repræſentaſſe concipimus, perit omnis cum *calice* inſtituta comparatio. Nempe lilii inciſa eſt extremitas, at calicis margo continuus procurrit. Quid vero ſi dicamus, *rotunditatem*, quæ interpretibus vulgo mari tantum attribuitur, etiam *labio* in Scriptura aſſignari. Certe ita videtur, ſi verba exacte penſitamus: *Facies mare aneum*, *decem cubiti ſint a labio ad labium*, עגול סביב, CIRCUMQUAQUE ROTUNDUM. Quæ verba formam angulis quibuscunque egentem exhibent. Ut adeo comprehendere nequeamus, qua impulſus ratione Cl. Deylingius audacter aſſerat: *Evidenter patere*, *figuram maris anei exacte* CIRCULAREM NON FUISSE. Nec ſcripturam id affirmare. Hem! Scriptura rotundum mare fuiſſe non affirmat? Quid igitur eſt עגול סביב, niſi ROTUNDUM CIRCUMQUAQUE. Et ſi his ipſis vocabulis ſcriptura exactam rotunditatem non indicat, quod rotundum eſt nequit deſignare. Quia aliis rotundo deſignando verbis deſtituitur. Ergo ut ſacri ſcriptoris menti inhæreamus, ſic exiſtimandum. 1) Labium maris *perfecte* fuiſſe rotundum, inciſuræ expers, ut calices, vaſave vitrea eſſe ſolent. 2) Idem labium non rectum eminuiſſe, ſed *incurvatum*, reflexumque dependiſſe, quam in aperto lilii flore imaginem contemplamur. Hac ratione & gemina retinetur comparatio, & concinnitas.

§ V.

Sic quæ ex *hexagono* deſumuntur arma, hoſtes non proſternunt. Nobis fortiſſimum telum verba ſacra

in

manus tradent, quæ perpendamus. I. *Reg.* VII, 23.
ויעש את הים מוצק עשר באמה משפתו עד שפתו עג
סביב וחמש באמה קומתו וקוה שלשים באמה יסב או
סב: i. e. *Fecit mare fuſum*, DECEM CVBITI *erant* LABIO AD LABIVM *ejus*, *rotundum circumqua-ꝛe*, *& quinque cubitos altum*; *&* FILVM *30. cubi-ꝛrum* ILLVD (*mare*) CIRCVM AMBIEBAT. Hinc iſcimus, 1) *Dimetientem lineam decem cubitorum* b extremitate marginis orientem ſe ad oppoſitum ıarginis latus protendiſſe. Conſequenter, quia la-ium reflectebatur, hanc diametrum aliam, medi-ın maris ſecantem longitudine ſuperaſſe. 2) *Funi-ulum circumferentiam amplectentem* XXX. cubito-ım non labium, ſeu marginem extremum, ſed ipſum ıare medium cinxiſſe. Diſerte notatur: *Et filum XX. cubitorum ambiat* אותו IPSVM MARE, non אֹתֹה, *pſam extremitatem labii.* Unde demum inferi-ıus, *diametrumX. cubitorum* a Scriptura non haberi ro *diametro Peripheriæ* XXX. cubitorum, ſed aliam ſſe diametrum labii ſeu marginis, aliam medii maris. Quod porro eluceſcit, quia diameter cum Perimetro on conjungitur, ſed primo memoratur Diameter, de-ıde altitudo, denique Peripheria. Cui accedit da-ı diametro, non neceſſe eſſe, etiam Perimetrum ad-ere, ex proportionis lege eruendam. Atqui quia criptura & diametrum exhibet, & Peripheriam, ſe-uitur, nulla hæc affinitate invicem eſſe connexa.

§. VI.

Voluit videlicet Scriptor ſacer nobis indicare, & uam capax mare ipſum exiſteret, cujus circuitum ınis XXX. cubitorum comprehendebat, & quanta

oris labiique ſupra mare ſit expanſio, diametro X. cubitorum. Quod nunc lectorum ob oculos paulo clarius exponemus. *Diameter* a labio ad labium ductus X. cubitos, ſeu, evitandis fractionibus, 240. digitos complectitur. Reſpondens huic *Peripheria* labii extrema digitos tenet 755½. Atqui Peripheria Scripturæ. ſ. memorata XXX. cubitorum tantum habet digitos 720. Intercedit ergo inter utramque differentia digit. 35½. ſatis magna. At enim vero labium ornatus gratia repandum erat. Huic flexui ſi ſaltem palmum vel 4. digitos transverſos damus, a diametro ſuprema utrinque 4. digiti, i.e. 8. demendi ſunt, ut habeamus *maris medii diametrum* digitorum 232. Quibus per regulam Proportionis digeſtis, *peripheria* emergit digit. 728. proxime Peripheriam in ſacris notatam attingens. Diſcant ergo ſacri Codicis oſores, & Salomoni non defuiſſe ſcientiam Geometricam, qui ſplendidiſſimum templum erexit, & Scriptorem ſ. a tramite veri non deflexiſſe, & objectionem ſuam blaſphemia eſſe conditam. Ex verſionibus ſacrarum tabularum autoritas & perfectio non eſt arguenda, ſed ex fontibus ipſis haurienda. Deteſtanda ergo vox eſt, ignorantiæ, ac temeritatis plena SPINOZÆ: *Quia non tenemur credere Salomonem Mathematicum fuiſſe, licet nobis affirmare, eum rationem inter Peripheriam, & circuli Diametrum ignoraviſſe, & cum vulgo operariorum putaviſſe eum eſſe, ut 3. ad 1.* IGNORANTIA Atheorum validiſſimum telum.

Cap. III.

VSDEM EST ARGUMENTI 'M CAPITE VI. LIB. I. ET INSVMI- R MANIFESTANDIS JVDÆORVM IN AN- IQVITATIBVS SACRIS ERRORIBVS AC MENDACIIS.

ARGVMENTVM.

Pera detegendis Judæorum erroribus haud ira impenditur. §. I. De *a combuſtionis* Judæo- ı ſomnia & abſurdita- §. II. Pontificem M. na *Crucis* unctum, ſig- ntum Judaicum. §. III. De numero *aromatum ri ſuffitus*, inficeta Rab- orum ſententia. §. V. ndacia de *Hirco Azazel.* Num *pons* ab urbe ad montem oliviferum ſtructus. §. VI. *Lingua Coccinea* abſurdum detegitur. §. VII. Hircus de monte *Zuck* præcipitatus, εὕρημα Rabbinicum. Typi ſacri unde deſumendi. §. VIII. Narratio perquam ridicula, de promo condo Theſauri ſacri. §. IX.

§. I.

QVem Libro *primo* inſumſimus laborem, eruendis Judæorum in *ſacra Antiquitate* erroribus, & refellendis mendaciis, mul- non diſplicuiſſe viris doctis accepimus. Eiusdem que materiæ *Caput alterum* huic volumini inſe- e viſum eſt, cum & veritas noſtris accedat parti- s, ſordibus *Rabbinorum* tandem purganda, & ipſa rtractatio gravitate non deſtituatur, atque aliquid ſe contineat delectationis. Hæ tamen non pro- untur, quaſi juvenum mentibus nauſeam litera- rum

rum Rabbinicarum inſtillaturis. Non eum ſuſceptæ operæ finem nobis propoſuimus: qui & libentes agnoſcimus, *literaturæ Rabbinicæ* non parum lucis ſacra debere oracula. Verum huc collineamus, ut in fimeto aurum exquirere, & lolium ab avena ſecernere diſcat ſtudioſa juventus. Quæ in phraſibus verbisque reſidet utilitas, fruſtra in rebus atque fabulis perquiritur. HOMERUS, Poetarum pater, Idiomati Græco operibus ſuis ingens accendit lumen, dum fictionibus Hiſtoricam veritatem denſis velaminibus obſcuravit. Sic *Talmudicas loquendi formulas* non ſine fructu cum ſacri Codicis locutionibus componimus: rejectis interim inſulſis commentis, & inſanis mendaciis, quibus *Talmudicum Corpus*, veluti putridum vermibus cadaver, ſcatet, ut neceſſario ſit fatendum, Deum iratum, Judæis verbi ſui contemtoribus, pro pane lapidem, & pro theſauro carbones porrexiſſe. Sed ad rem.

§. II.

Supplicium COMBUSTIONIS Judæorum ex ore diſcamus. *Sanh. Cap.* VII, §. 2. *De Urendis hæc ſtatuta accepimus. Damnatus fimo immergitur, usque ad genua. Tum linteum durum molli involvitur. Id collo ejus circumdatur; atque in diverſa hinc inde a duobus trahitur. eo usque donec os hiſcat. Quo facto plumbum liquefactum ori ejus infundunt, quod in viſcera ejus deſcendens, inteſtina concremet.* Miram omnino *combuſtionis* rationem, quæ nemini mortalium, opinor, niſi Judæi ſic tradidiſſent, unquam ſuboluiſſet, & tamen a Chriſtianis admittitur, & a Rabbinis pro aris ac focis defenditur. Quod

ſi

nim quis inſtaret, corpus plumbo ori immiſſo il-
ım ſervari, & non comburi, hanc ſolutionem
rt MAIMONIDES: *Sic accepimus exemplo ſilio-*
n Aharonis, qui non combuſti ſunt, ut aliquid de
orum corporibus combuſtum appareret, & nihilo-
us ſcriptura de iis ait Levit. X, 6. *deflebant* COM-
STIONEM, *quam combuſſit Dominus.* Verum
mniis hoc genus ſupplicii adſcribimus ex eburnea
ta. Deus quidem t. o. m. *combuſtionem* ſancit.
vit. XX, 14. *Vir qui duxerit uxorem, ejusque ma-*
m, כאש ישרפו אותו, IGNE COMBVRATIS *eum.*
m *Levit.* XXI, 9. *Filia Sacerdotis ſi ſcortata fuerit*
ת כאש IGNE COMBVRATVR. שרף *Saraph* no-
cremare, etiam *in cineres redigere.* Judæis ve-
innuit, *plumbum ori liquatum infundere.* Evol-
ntur exempla hujus vocis omnia, num vel leviſ-
nam hujus notionis ſuſpicionem ſuggerant. Ur-
s dicuntur שרופות אש *igne concrematæ.* Utrum &
bibus liquidum ſtannum immittebatur? Juvencus
fus igni committebatur; num plumbo fuſo ene-
tus? Vitulum aureum in flammam Moſes con-
cit; an etiam gutturi plumbum illiquavit? Quot-
iot perluſtramus exempla, plumbi nomen nullibi
currit. Aliud tamen omnino eſt plumbo occide-
liquefacto, aliud igne accenſo. Nec juvat frivo-
ım de *ambuſtis Aharoni natorum corporibus*, effu-
ium, nec tamen in cinerem converſis. *Levit.* X.
Deus ſcilicet ſuis poenis alium ponit modum, alium
omines. Deus omnipotens igne percuſſit trans-
reſſores fulmineo, non liquato metallo. Juſſit
ero filiam Sacerdotis non fulgure, verum igne com-
buri.

buri. Fulmen innoxio perimit corpore, non flamma ligno nutrita. At pauliſper permittamus aſylum, in divino ſupplicio captum: naturæ æque atque experientiæ ſontes hoc modo affligere & interimere pugnat. *Linteo gula damnati coarctabatur, ori aperiendo.* Ore hiante, at *compreſſis faucibus*, qua via plumbum ad inteſtina deſcendere poterat? Experientia erudimur, etiam gutture non conſtricto, infuſum plumbum ſtatim per ſalivam *coagulari:* adeo ut in ore hæreat, oeſophagum obſtruat, & palatum, linguamque quidem lædat, homini tamen letum non afferat. Quo ſolo argumento fictitia poena innoteſcit. Nec ipſi inter ſe conſentiunt Rabbini. Nam ad verba *Miſchnæ* ſuperius citata, oppoſuit *R. Eliezer ben Zadock* hiſtoriam de filia quadam Sacerdotis ſcortata, quam aggeſtis circumquaque *ſarmentorum faſcibus* combuſſerint. Veriſſime ſenſit viditque hic *Rabbinus;* cui ridicule prorſus cæteri, *Miſchnæ loco cit.* reſpondent: *Factum hoc fuiſſe propterea, quod judices illius temporis non fuiſſent ſtatutorum periti.* Imo vero peritiſſimi erant, qui executionem Legi divinæ maxime congruentem decreverant. Cachinnum vero movet *Gemaricorum* exceptio, qua *R. Eliezerem* retudiſſe putarunt. *Parvulus tunc* (cum filia combureretur) *fuiſti; atqui non ſolent a puero probationem petere.* Quaſi vero quod in pueritia conſpexerat *Eliezer*, non æque fuiſſet verum, ac quod ſenectute gravis limis ac hebentibus oculis luſtraſſet. Satis nugarum. Si placet conſ. *Baſn. Hiſt. Jud. Tom. II. p. 359.*

§. III.

§. III.

TRADITIO fert, ſummum Pontificem, ſacro
m perungeretur *oleo*, CRVCIS forma in fronte
ſſe inſignitum. Sic in *Gemara Cerithut*: *Tra-
nt Rabbini noſtri, Sacerdotes ungi* כמין כי יונית,
FIGVRAM CHI GRÆCANICI X. Unde *Mai-
nides* in *Cel. Ham. Cap.* I. *Quomodo ungebant Sa-
rdotem? Affundebant oleum capiti ejus, & illinie-
nt inde ſuper oculos, adſpeciem* CHI GRÆCI.
c unctionis modus valde arriſit Chriſtianis Scri-
oribus. SCHIKARDVS de *jure reg.* p.76. *Erudi-
ribus hic conſiderandum relinquo --. annon Ponti-
c, qui in cæteris Chriſti typum geſſit, hoc etiam* SI-
NO CRVCEM *ejus præfiguravit?* SELDENVS de
ucceſſ. p.513. *Figura autem ſeu modus unctionis ita
erumque deſcribitur, ut* ANDREANÆ, *ut vocant,*
RVCIS *figuram olei ductu in fronte ejus, ſeu inter
ulos exprimi ſolitam eſſe merito autumemus.* Et
ct. RELANDVS in *Antiq.* exclamat: *Non vide-
r eſſe ratio, cur hæc Judæorum traditio rejici de-
at: imprimis quum adverſus Judæos pro cruce
hriſti urgeri poſſit.* Vellemus & nos rationibus eſſe
ſtitutos, quo Virorum doctorum ſuffragiis acce-
re liceret: at in alia omnia nos abripiunt argu-
entorum pondera noſtrorum. 1) Sub templo Zeru-
belico, & Herodiano *unctio* nullum habebat lo-
m, quia ſacrum deerat oleum, uti in *Maccoth,*
l. 32. notatur: *Quinque hæ res defuere in templo
undo, quas primum habuit. Ignis cæleſtis, arca,
rim & Thummim,* OLEVM VNCTIONIS, *&
iritus S.* (*Schechina* aliis.) Hinc *Maimonides Cel.*
Ham-

Ham. Cap. I. *Sub templo ſecundo, quoniam* NVLLVM *erat* VNCTIONIS OLEVM *Pontifex veſtium indutu initiabatur, adeo ut tantum Pontificiis veſtimentis veſtiretur.* Tempore autem Joſiæ regis, annis 50. ante primi templi excidium oleum ſanctum fuiſſe abſconditum, Talmudici paſſim ſcribunt. Ipſum vero *Corpus Talmudicum*, quingentis demum poſt Chriſtum natum annis in ordinem eſt digeſtum. Quapropter liquidum evadit, neminem Rabbinorum authenticum poſſe de unctione Sacerdotali ferre teſtimonium, quoniam ad minimum inter ſacri olei occultationem, & traditionem a Talmudiſtis literis conſignatam anni 1100. intercedunt. Nemo vero ignorat, quantam tot annorum decurſus dictis & rebus mortalium ſola traditione innixis inducat & variationem & oblivionem. 2) Igitur omnis hujus rei demonſtratio ſacris eſt e codicibus petenda. Tantum vero abeſt, ſacra oracula judaico commento ſuffragium deferre, ut potius exinde invicta eo depugnando tela depromamus. Conſtat inter Chriſtianos, *typos* & Perſonæ Chriſti, & miniſterii ejus, Paſſionis & mortis ſolam nobis ſuppeditare Scripturam, & poſſe ſuppeditare. Quis videlicet e ſtercoreis Judæorum traditionibus, diu poſt Servatorem enatis, eccleſiæ N. T. & ſtatus mediatorii Liberatoris noſtri præfigurationes extunderet? Facilius in Æſopo, aut Homeri Iliade, quam *Talmude* illas inveniremus. Jam vero ſi ſancto unguento Pontificis in fronte *crux* depingebatur, patibuli (cujus ignominioſum redimendo generi humano Servator pertulit ſupplicium) exemplar & figura, quo, malum! demum

num caſu, quove factum infortunio, ut illuſtriſſi-
m divinæ paſſionis, (quo clarius in Veteri Teſta-
nto nullum) monumentum a ſacris omitteretur
iptoribus, & in mendaci judaicarum traditionum
nio per multa ſecula deliteſceret. Hem! nobis
ıdit hoc myſterium Moſes, nobis, inquam, qui,
em *crux* aliquando tenuit Jeſum, honoramus, &
æis, ingratæ genti, qui crucifixum Servatorem
ni afficiunt contumelia, reſervavit. Apage abſur-
n!

§. IV

3) Porro, quando ſacra Scriptura, *unctionem*
nmemorat, ſequentibus tantum utitur verbis,
d. XXIX, 7. *Effundes oleum in caput,* ומשחת אותו
NGES *eum, Aharonem.* משח, *Maſchach,* VN-
RE, notat, *oleum alicui rei inducere.* At Judæ-
m ex mente ſignificabit, *oleo crucem in fronte di-*
s depingere. Noſtræ quidem explicationis exem-
bene multa proſtant. Judaicæ nullum omnino.
centæ quaquaverſum pinguedine delibutæ appel-
tur מצות משוחים בשמן *placentæ* OLEO VNCTÆ.
d. XXIX. Num *crucis* imagine exornatæ? Sic
dem Judæis placet in *Menach.* VI, 3. *Placentæ un-*
debent: unguntur vero ad FORMAM CHI X.
o vero omnem unctionem fuiſſe factam *ad formam*
X, diſertiſſime tradit *Jarchius* ad *Exod.* XXIX,
ut itaque vaſa tabernaculi, ac tabernaculum ipſum
cis picturam habuerint. Quod ſi ſic, unde tan-
Judæis hæc ungendi ratio innoteſcere potuit,
ex verbi משח *Maſchach* proprio & formali ſigni-
tu, qui in poſterum erit: *oleo digitis crucem ef-*
2) G *for-*

Ut vero minimum dubii lectoribus relinquamus, ad ſequentia animum adhibeamus. I. Facta eſt *omiſſio* ſupremo *Numine dirigente*, quod ut ætatem Saulis ad thronum promoti ſciremus noluit. II. *Saulis ætas* tabulis vel Annalibus ſacris inſcripta non eſt, quia *privatum* egit, & ad ætatem fortean ipſe non attendit. III. *Propheta* non erat *omniſcius*, ut ætatis Saulis ignarus, ſtatim etiam pervideret, neminem hominum illam memoria recondidiſſe. IV. Præterea *occiſo* demum *Rege* vitam ejus in Annales retulit ſacer hiſtoricus. V. Noluit hæc verba prætermittere, ne a *ſolida ſcribendi via* ſecederet. VI. Nec erravit, quia alicuius rei ignorantia, erroribus non additur. VII. Regum anni deinceps ſuccedentium, exacte ſunt commemorati, quia ad Regum Principumque nativitatem attendimus. VIII. Denique ſi quis diceret, inventum meum tanti non eſſe, ille in memoriam ſibi *Columbi*, qui novum detexit orbem, hiſtoriam revocet.

CAP. II.

DE ÆNEI DIAMETRO MARIS DISSERITVR, OSTENDITVRQVE, ILLAM NON ESSE DIAMETRVM PERIPHERIÆ XXX. CVBITORVM EIVSDEM MARIS, CONTRA VVLGAREM OPINIONEM.

ARGVMENTVM.

OBjectio Antigraphorum, ex *Diametro maris ænei* depromta, §. II. A nonnullis refellitur eo, quod ſcriptura ſoleat quandoque *minutius* negligere. §. II. Ab aliis

is maris *Peripheriam me-*
nice eſſe menſuratam. §. III.
quibusdam, maris *formam*
iſſe *ſexangularem*. §. IV. Qui-
ıs omnibus ſolutionibus re-
ctis, demonſtratur, *Diame-*
um a ſcriptura non haberi pro *diametro peripheriæ XXX. cubitorum.* §. V. Idque cla-
rius ob oculos ponitur, & calculo approbatur. Im-
pia *Spinozæ* vox deteſtata. §. VI.

§. I.

NON deſunt, qui, ſiquando nonnulla problemata mathematica a limine ſalutarunt, & fortean etiam *Diametri* ad *Perimetrum* proportionem memoriter edidicerunt, cum audiunt, MARIS *æneі* Salomonis mandatu fuſi, *lineam diametralem* cubitorum extitiſſe *decem*, circumferentiam ero cubitorum *triginta*, tenui ſcientia inflati, ac ſanctorum oraculorum contemtum præ ſe ferentes, nagno cum faſtu erumpunt: Ubinam, quæſumus, actata illa Scripturæ Autoritas, falli, & fallere neſcia? En vobis manifeſti erroris luculentum ſpecimen! Siquidem *Diametro* circuli decem cubitorum exiſtente, *Peripheria* nequaquam, ſecundum ſcripturam XXX. complectetur, verum XXXI. cum ;, quod Geometrica certiſſime demonſtratione pateſcit. Fateamur ergo neceſſe eſt, vel ſcriptorem ſacrum hic aberraſſe, vel Salomonem ejusque artifices Geometriæ non admodum extitiſſe peritos.

§. II.

Varie inſulſam hanc objectionem exceperunt ii, quibus cœleſtium literarum integritas curæ eſt cordique. Complures regeſſere, *minutias* hujusmodi

ſcripturam ſ. negligere. *Petrus Martyr Comment* p. 47. *Dicitur ambitum fuiſſe XXX. cubitorum: verum addenda fuiſſet Diametri ſeptima pars, atque ita paulo eſſet latior ambitus. Cæterum ſcripturæ mos eſt, ut* MINVTIAS *haſce non perſequatur.* Non abludit *Torniellus Annal.* an. 3030. n. 3. *Diametralis latitudo expanſionis ejus* (maris) *erat cubitorum decem, ita ut funiculus triginta cubitorum* (ſupple ET VNIVS FERE SEMIS) *ambire poſſet gyrum ejus: Siquidem juxta Geometriæ regulas, diameter triplicatus, cum ſeptima ſui parte, totum ejus circulum ambit. Scriptura autem hic, ut alias non ſemel numerum* PERFECTVM *pro* IMPERFECTO *uſurpavit.* Non diffitemur hujus moris obſervari ſacris in literis exempla quædam: at at, cum Auctores divini in dimetiendo tabernaculo, etiam templo, exactiſſime menſuram definiverint, ne *dimidio* quidem *cubito* omiſſo, huic ſolutioni aqua hæret, nec adverſariis ſatisfaciet.

§. III.

Contendunt alii, Peripheriam *mechanice* dimenſam eſſe. Quandoquidem deprehenditur Semidiameter ſive radius *ſexies* circino in circumferentia circumlatus, hanc accurate emetiri. Jam maris *anei* Semidiameter cubitos exæquabat quinque. *Sexies* vero *quinque* ſumtum, *triginta* producit. Qua quidem reſponſione obloquentibus os ſatis obturari poſſet, quoniam & experientiæ innititur, & mechanicorum conſuetudini. Ne tamen ulla omnino cavillandi occaſio hoſtibus monumentorum ſacrorum relinquatur, diſpiciendum, nonne alia ſuppetat conciliatio,

con-

ntra quam nemo, niſi cui frons periit, hiſcere
deat.

§. IV.

Huc quod Cl. Relandus Antiq. p. 55. habet, ſpe-
at: *Figuram habuiſſe* (mare) *rotundam, ſacer co-
x tradit* 2. *Chron.* IV, 2. & *labium ejus inſtar lilii
pandum fuiſſe*, 1. *Reg.* VII, 26. *Quum autem lilia,
hoſchannim*, שושנים *a ſex foliis nomen habeant,
detur labium hujus vaſis ſex quaſi folia repræſen-
ſſe, aut ſex ſpatiis, quinque cubitos a ſe invicem
ſtantibus, inciſum fuiſſe, proximeque acceſſiſſe ad
xagonum. Atque ita Diameter cubitorum 10. con-
eniet cum peripheria cubitorum 30. quoniam dia-
eter circuli, cui hexagonum inſcriptum eſt, ſi de-
m habeat cubitos, quodlibet latus hexagoni da-
it quinque, adeoque ſex latera efficient triginta.*
Nec elegantia, nec ingenio caret hæc conjectura,
uam *Cl. Deylingius obſerv. ſacr.* lib. I. p. 68. pro-
ugnandam ſuſcepit, cui lubentiſſimo animo aſſen-
um præberemus, niſi alia nos momenta retrahe-
ent. Corpus maris ROTVNDVM עגול, non *hexa-
onum* fuiſſe, ſacra monumenta nos docent, 1. *Reg.*
VII, 23. Atqui ſi corpus ipſum rotunditate gaude-
at, qui margo extremus, vel labium, ex ſtylo Scri-
turæ, hexagoni figuram æquabit? Sed ipſam labii
eſcriptionem apprehendamus 1. Reg. VII, 26. *La-
ium erat* כמעשה שפת כום פרח שושן, *veluti opus la-
bii calicis, floris lilii.* Gemina ſtatuitur ſimilitudo,
quibus maris margo conveniebat. Compara-
ur labio calicis ſuperno, comparatur etiam
flori lilio, vel, ſi mavis, *labio floris lilii.* In
figura marginis utraque ſervanda venit ſimilitudo, &

 cali-

calicis, & *lilii.* Verum ſi juxta Autores clarr. labium maris ſex quaſi folia lilii repræſentaſſe concipimus, perit omnis cum *calice* inſtituta comparatio. Nempe lilii inciſa eſt extremitas, at calicis margo continuus procurrit. Quid vero ſi dicamus, *rotunditatem*, quæ interpretibus vulgo mari tantum attribuitur, etiam *labio* in Scriptura aſſignari. Certe ita videtur, ſi verba exacte penſitamus: *Facies mare æneum, decem cubiti ſint a labio ad labium,* עגול סביב, CIRCUMQUAQUE ROTUNDUM. Quæ verba formam angulis quibuscunque egentem exhibent. Ut adeo comprehendere nequeamus, qua impulſus ratione Cl. Deylingius audacter aſſerat: *Evidenter patere, figuram maris ænei exacte* CIRCULAREM NON FUISSE. Nec ſcripturam id affirmare. Hem! Scriptura rotundum mare fuiſſe non affirmat? Quid igitur eſt עגול סביב, niſi ROTUNDUM CIRCUMQUAQUE. Et ſi his ipſis vocabulis ſcriptura exactam rotunditatem non indicat, quod rotundum eſt nequit deſignare. Quia aliis rotundo deſignando verbis deſtituitur. Ergo ut ſacri ſcriptoris menti inhæreamus, ſic exiſtimandum. 1) Labium maris *perfecte* fuiſſe rotundum, inciſuræ expers, ut calices, vaſave vitrea eſſe ſolent. 2) Idem labium non rectum eminuiſſe, ſed *incurvatum*, reflexumque dependiſſe, quam in aperto lilii flore imaginem contemplamur. Hac ratione & gemina retinetur comparatio, & concinnitas.

§ V.

Sic quæ ex *hexagono* deſumuntur arma, hoſtes non proſternunt. Nobis fortiſſimum telum verba ſacra

in

ɪanus tradent, quæ perpendamus. I. *Reg.* VII, 23·
ויעש את הים מוצק עשר באמה משפתו עד שפתו
סביב וחמש באמה קומתו וקוה שלשים באמה יסב
ב: i. e. *Fecit mare fuſum*, DECEM CVBITI *erant*
ABIO AD LABIVM *ejus*, *rotundum circumqua-*
, *& quinque cubitos altum*; *&* FILVM *30. cubi-*
um ILLVD (*mare*) CIRCVM AMBIEBAT. Hinc
cimus, 1) *Dimetientem lineam decem cubitorum* extremitate marginis orientem ſe ad oppoſitum rginis latus protendiſſe. Conſequenter, quia la-m reflectebatur, hanc diametrum aliam, medi- maris ſecantem longitudine ſuperaſſe. 2) *Funi-lum circumferentiam amplectentem* XXX. cubito-n non labium, ſeu marginem extremum, ſed ipſum re medium cinxiſſe. Diſerte notatur: *Et filum X. cubitorum ambiat* אותו IPSVM MARE, non אֹתָהּ, *ſam extremitatem labii.* Unde demum inferi-ɪs, *diametrum X. cubitorum* a Scriptura non haberi o *diametro Peripheriæ* XXX. cubitorum, ſed aliam e diametrum labii ſeu marginis, aliam medii maris. ɪod porro eluceſcit, quia diameter cum Perimetro n conjungitur, ſed primo memoratur Diameter, de-de altitudo, denique Peripheria. Cui accedit da- diametro, non neceſſe eſſe, etiam Perimetrum ad-re, ex proportionis lege eruendam. Atqui quia riptura & diametrum exhibet, & Peripheriam, ſe-ɪitur, nulla hæc affinitate invicem eſſe connexa.

§. VI.

Voluit videlicet Scriptor ſacer nobis indicare, & ɪam capax mare ipſum exiſteret, cujus circuitum nis XXX. cubitorum comprehendebat, & quanta

 oris

oris labiique ſupra mare ſit expanſio, diametro X. cubitorum. Quod nunc lectorum ob oculos paulo clarius exponemus. *Diameter* a labio ad labium ductus X. cubitos, ſeu, evitandis fractionibus, 240. digitos complectitur. Reſpondens huic *Peripheria* labii extrema digitos tenet $755\frac{1}{2}$. Atqui Peripheria Scripturæ ſ. memorata XXX. cubitorum tantum habet digitos 720. Intercedit ergo inter utramque differentia digit. $35\frac{1}{2}$. ſatis magna. At enim vero labium ornatus gratia repandum erat. Huic flexui ſi ſaltem palmum vel 4. digitos transverſos damus, a diametro ſuprema utrinque 4. digiti, i.e. 8. demendi ſunt, ut habeamus *maris medii diametrum* digitorum 232. Quibus per regulam Proportionis digeſtis, *peripheria* emergit digit. 728. proxime Peripheriam in ſacris notatam attingens. Diſcant ergo ſacri Codicis oſores, & Salomoni non defuiſſe ſcientiam Geometricam, qui ſplendidiſſimum templum erexit, & Scriptorem ſ. a tramite veri non deflexiſſe, & objectionem ſuam blaſphemia eſſe conditam. Ex verſionibus ſacrarum tabularum autoritas & perfectio non eſt arguenda, ſed ex fontibus ipſis haurienda. Deteſtanda ergo vox eſt, ignorantiæ, ac temeritatis plena SPINOZÆ: *Quia non tenemur credere Salomonem Mathematicum fuiſſe, licet nobis affirmare, eum rationem inter Peripheriam, & circuli Diametrum ignoraviſſe, & cum vulgo operariorum putaviſſe eum eſſe, ut 3. ad 1.* IGNORANTIA Atheorum validiſſimum telum.

CAP.

Cap. III.

...VSDEM EST ARGUMENTI ...M CAPITE VI. LIB. I. ET INSVMI... MANIFESTANDIS JVDÆORVM IN AN...IQVITATIBVS SACRIS ERRORIBVS AC MENDACIIS.

ARGVMENTVM.

...Pera detegendis Judæ...orum erroribus haud ...ra impenditur. §. I. De ...*a combuſtionis* Judæo... ſomnia & abſurdita... §. II. Pontificem M. ...na *Crucis* unctum, fig...ntum Judaicum. §. III. De numero *aromatum* ...*i ſuffitus*, inficeta Rab...orum ſententia. §. V. ...dacia de *Hirco Azazel.* Num *pons* ab urbe ad montem oliviferum ſtructus. §. VI. *Lingnæ Coccineæ* abſurdum detegitur. §. VII. Hircus de monte *Zuck* præcipitatus, εὕρημα Rabbinicum. Typi ſacri unde deſumendi. §. VIII. Narratio perquam ridicula, de promo condo Theſauri ſacri. §. IX.

§. I.

QVEM LIBRO *primo* inſumſimus laborem, eruendis Judæorum in *ſacra Antiquitate* erroribus, & refellendis mendaciis, mul... non diſplicuiſſe viris doctis accepimus. Eiusdem ...que materiæ *Caput alterum* huic volumini inſe...e viſum eſt, cum & veritas noſtris accedat parti...s, ſordibus *Rabbinorum* tandem purganda, & ipſa ...tractatio gravitate non deſtituatur, atque aliquid ...e contineat delectationis. Hæ tamen non pro...untur, quaſi juvenum mentibus nauſeam litera-

rum Rabbinicarum inſtillaturis. Non eum ſuſceptæ operæ finem nobis propoſuimus: qui & libentes agnoſcimus, *literaturæ Rabbinicæ* non parum lucis ſacra debere oracula. Verum huc collineamus, ut in fimeto aurum exquirere, & lolium ab avena ſecernere diſcat ſtudioſa juventus. Quæ in phraſibus verbisque reſidet utilitas, fruſtra in rebus atque fabulis perquiritur. Homervs, Poetarum pater, Idiomati Græco operibus ſuis ingens accendit lumen, dum fictionibus Hiſtoricam veritatem denſis velaminibus obſcuravit. Sic *Talmudicas loquendi formulas* non ſine fructu cum ſacri Codicis locutionibus componimus: rejectis interim inſulſis commentis, & inſanis mendaciis, quibus *Talmudicum Corpus*, veluti putridum vermibus cadaver, ſcatet, ut neceſſario ſit fatendum, Deum iratum, Judæis verbi ſui contemtoribus, pro pane lapidem, & pro theſauro carbones porrexiſſe. Sed ad rem.

§. II.

Supplicium combvstionis Judæorum ex ore diſcamus. *Sanh. Cap.* VII, §. 2. *De Urendis hæc ſtatuta accepimus. Damnatus fimo immergitur, usque ad genua. Tum linteum durum molli involvitur. Id collo ejus circumdatur; atque in diverſa hinc inde a duobus trahitur. eo usque donec os hiſcat. Quo facto plumbum liquefactum ori ejus infundunt, quod in viſcera ejus deſcendens, inteſtina concremet.* Miram omnino *combuſtionis* rationem, quæ nemini mortalium, opinor, niſi Judæi ſic tradidiſſent, unquam ſuboluiſſet, & tamen a Chriſtianis admittitur, & a Rabbinis pro aris ac focis defenditur. Quod

ſi

im quis inſtaret, corpus plumbo ori immiſſo il-
m ſervari, & non comburi, hanc ſolutionem
t MAIMONIDES: *Sic accepimus exemplo filio-
Aharonis, qui non combuſti ſunt, ut aliquid de
rum corporibus combuſtum appareret, & nihilò-
us ſcriptura de iis ait Levit.* X, 6. *deflebant* COM-
TIONEM, *quam combuſſit Dominus.* Verum
niis hoc genus ſupplicii adſcribimus ex eburnea
ta. Deus quidem t. o. m. *combuſtionem* ſancit.
it. XX, 14. *Vir qui duxerit uxorem, ejusque ma-
n*, באש ישרפו אותו, IGNE COMBVRATIS *eum.*
n *Levit.* XXI, 9. *Filia Sacerdotis ſi ſcortata fuerit*
באש ת IGNE COMBVRATVR. שרף *Saraph* no-
cremare, etiam *in cineres redigere.* Judæis ve-
innuit, *plumbum ori liquatum infundere.* Evol-
itur exempla hujus vocis omnia, num vel leviſ-
am hujus notionis ſuſpicionem ſuggerant. Ur-
dicuntur שרופות אש *igne concrematæ.* Utrum &
ibus liquidum ſtannum immittebatur? Juvencus
ſus igni committebatur; num plumbo fuſo ene-
us? Vitulum aureum in flammam Moſes con-
it; an etiam gutturi plumbum illiquavit? Quot-
ot perluſtramus exempla, plumbi nomen nullibi
currit. Aliud tamen omnino eſt plumbo occide-
liquefacto, aliud igne accenſo. Nec juvat frivo-
n de *ambuſtis Aharoni natorum corporibus*, effu-
um, nec tamen in cinerem converſis. *Levit.* X.
eus ſcilicet ſuis poenis alium ponit modum, alium
omines. Deus omnipotens igne percuſſit trans-
reſſores fulmineo, non liquato metallo. Juſſit
ro filiam Sacerdotis non fulgure, verum igne com-
buri.

buri. Fulmen innoxio perimit corpore, non flamma ligno nutrita. At pauliſper permittamus aſylum, in divino ſupplicio captum: naturæ æque atque experientiæ ſontes hoc modo affligere & interimere pugnat. *Linteo gula damnati coarctabatur, ori aperiendo.* Ore hiante, at *compreſſis faucibus,* qua via plumbum ad inteſtina deſcendere poterat? Experientia erudimur, etiam gutture non conſtricto, infuſum plumbum ſtatim per ſalivam *coagulari:* adeo ut in ore hæreat, oeſophagum obſtruat, & palatum, linguamque quidem lædat, homini tamen letum non afferat. Quo ſolo argumento fictitia poena innoteſcit. Nec ipſi inter ſe conſentiunt Rabbini. Nam ad verba *Miſchnæ* ſuperius citata, oppoſuit *R. Eliezer ben Zadock* hiſtoriam de filia quadam Sacerdotis ſcortata, quam aggeſtis circumquaque *ſarmentorum faſcibus* combuſſerint. Veriſſime ſenſit viditque hic *Rabbinus;* cui ridicule prorſus cæteri, *Miſchnæ loco cit.* reſpondent: *Factum hoc fuiſſe propterea, quod judices illius temporis non fuiſſent ſtatutorum periti.* Imo vero peritiſſimi erant, qui executionem Legi divinæ maxime congruentem decreverant. Cachinnum vero movet *Gemaricorum* exceptio, qua *R. Eliezerem* retudiſſe putarunt. *Parvulus tunc* (cum filia combureretur) *fuiſti; atqui non ſolent a puero probationem petere.* Quaſi vero quod in pueritia conſpexerat *Eliezer*, non æque fuiſſet verum, ac quod ſenectute gravis limis ac hebentibus oculis luſtraſſet. Satis nugarum. Si placet conf. *Baſn. Hiſt. Jud. Tom. II. p. 359.*

§. III.

§. III.

TRADITIO fert, ſummum Pontificem, ſacro
n perungeretur *oleo*, CRVCIS forma in fronte
ſe inſignitum. Sic in *Gemara Cerithut*: *Tra-*
t Rabbini noſtri, *Sacerdotes ungi* כמין כי יונית,
FIGVRAM CHI GRÆCANICI X. Unde *Mai-*
ides in *Cel. Ham. Cap.* I. *Quomodo ungebant Sa-*
dotem? Affundebant oleum capiti ejus, & *illinie-*
e inde ſuper oculos, *ad ſpeciem* CHI GRÆCI.
unctionis modus valde arriſit Chriſtianis Scri-
ribus. SCHIKARDVS de *jure reg.* p. 76. *Erudi-*
ibus hic conſiderandum relinquo --. annon Ponti-
, *qui in cæteris Chriſti typum geſſit*, *hoc etiam* SI-
O CRVCEM *ejus præfiguravit?* SELDENVS de
ceſſ. p. 513. *Figura autem ſeu modus unctionis ita*
rumque deſcribitur, ut ANDREANÆ, *ut vocant*,
VCIS *figuram olei ductu in fronte ejus*, *ſeu inter*
los exprimi ſolitam eſſe merito autumemus. Et
7. RELANDVS in *Antiq.* exclamat: *Non vide-*
eſſe ratio, *cur hæc Judæorum traditio rejici de-*
t: imprimis quum adverſus Judæos pro cruce
riſti urgeri poſſit. Vellemus & nos rationibus eſſe
tituto s, quo Virorum doctorum ſuffragiis acce-
e liceret: at in alia omnia nos abripiunt argu-
ntorum pondera noſtrorum. 1) Sub templo Zeru-
belico, & Herodiano *unctio* nullum habebat lo-
n, quia ſacrum deerat oleum, uti in *Maccoth*,
32. notatur: *Quinque hæ res defuere in templo*
undo, *quas primum habuit. Ignis cæleſtis, arca,*
im & Thummim, OLEVM VNCTIONIS, &
ritus S. (*Schechina* aliis.) Hinc *Maimonides Cel.*
Ham-

Ham. Cap. I. *Sub templo ſecundo, quoniam* NULLUM *erat* UNCTIONIS OLEUM *Pontifex veſtium indutu initiabatur, adeo ut tantum Pontificiis veſtimentis veſtiretur.* Tempore autem Joſiæ regis, annis 50. ante primi templi excidium oleum ſanctum fuiſſe abſconditum, Talmudici paſſim ſcribunt. Ipſum vero *Corpus Talmudicum*, quingentis demum poſt Chriſtum natum annis in ordinem eſt digeſtum. Quapropter liquidum evadit, neminem Rabbinorum authenticum poſſe de unctione Sacerdotali ferre teſtimonium, quoniam ad minimum inter ſacri olei occultationem, & traditionem a Talmudiſtis literis conſignatam anni 1100. intercedunt. Nemo vero ignorat, quantam tot annorum decurſus dictis & rebus mortalium ſola traditione innixis inducat & variationem & oblivionem. 2) Igitur omnis hujus rei demonſtratio ſacris eſt e codicibus petenda. Tantum vero abeſt, ſacra oracula judaico commento ſuffragium deferre, ut potius exinde invicta eo depugnando tela depromamus. Conſtat inter Chriſtianos, *typos* & Perſonæ Chriſti, & miniſterii ejus, Paſſionis & mortis ſolam nobis ſuppeditare Scripturam, & poſſe ſuppeditare. Quis videlicet e ſtercoreis Judæorum traditionibus, diu poſt Servatorem enatis, eccleſiæ N. T. & ſtatus mediatorii Liberatoris noſtri præfigurationes extunderet? Facilius in Æſopo, aut Homeri Iliade, quam *Talmude* illas inveniremus. Jam vero ſi ſancto unguento Pontificis in fronte *crux* depingebatur, patibuli (cujus ignominioſum redimendo generi humano Servator pertulit ſupplicium) exemplar & figura, quo, malum! demum

num caſu, quove factum infortunio, ut illuſtriſſi-
ım divinæ paſſionis, (quo clarius in Veteri Teſta-
nto nullum) monumentum a ſacris omitteretur
iptoribus, & in mendaci judaicarum traditionum
inio per multa ſecula deliteſceret. Hem! nobis
ıdit hoc myſterium Moſes, nobis, inquam, qui,
em *crux* aliquando tenuit Jeſum, honoramus, &
æis, ingratæ genti, qui crucifixum Servatorem
ni afficiunt contumelia, reſervavit. Apage abſur-
n!

§. IV

3) Porro, quando ſacra Scriptura, *unctionem*
nmemorat, ſequentibus tantum utitur verbis,
od. XXIX, 7. *Effundes oleum in caput*, ומשחת אותו
NGES *eum*, *Aharonem*. משח, *Maſchach*, VN-
RE, notat, *oleum alicui rei inducere*. At Judæ-
ım ex mente ſignificabit, *oleo crucem in fronte di-*
s depingere. Noſtræ quidem explicationis exem-
bene multa proſtant. Judaicæ nullum omnino.
centæ quaquaverſum pinguedine delibutæ appel-
tur מצות משוחים בשמן *placentæ* OLEO VNCTÆ.
od. XXIX. Num *crucis* imagine exornatæ? Sic
dem Judæis placet in *Menach.* VI, 3. *Placentæ un-*
debent: unguntur vero ad FORMAM CHI X.
o vero omnem unctionem fuiſſe factam *ad formam*
X, diſertiſſime tradit *Jarchius* ad *Exod.* XXIX,
ut itaque vaſa tabernaculi, ac tabernaculum ipſum
cis picturam habuerint. Quod ſi ſic, unde tan-
n Judæis hæc ungendi ratio innoteſcere potuit,
ex verbi משח *Maſchach* proprio & formali ſigni-
tu, qui in poſterum erit: *oleo digitis crucem ef-*

formare. E regione tamen ipſis Judæis ſcribitur, Reges non *cruce*, ſed *corona* oleoſa fuiſſe inunctos. *Maimonides* de *Reg. Reges familiæ David ungebant forma* CORONÆ *ſuper caput.* Unde rurſum pateſcit, *crucis* nomen in verbo משח *Maſchach* non latere: verum omnem illam cærimoniam ex traditione Rabbinica, veluti impuro fonte, hauſtam. Scilicet ex *Pſalmo* CXXXIII. alium inungendi modum diſcere poſſumus: *Sicut oleum laudatum ſupra caput Aharonis, deſcendens in barbam ejus, & inde ad oram veſtimentorum illius diffluens: Sic ros Hermonis* &c. Oleum itaque copia non exigua effundebatur, madefaciendæ & barbæ & veſtimentis. Quo caſu *crucis* fictio evadebat perquam difficilis. Imo prorſus aliena eſt crux a ſenſu Pſalmi. Nam roris deſcenſui unctio æquiparatur. Num ros crucis ſpecie delabitur? de cruce ſilentium agit Pſalmiſta. Et iterum iterumque dico, quia crucis effigies principem unctionis cæremoniam conſtituebat, illius mentionem ſacris ab Autoribus nequaquam fuiſſe prætermittendam. 4) Recutiti de figura ipſa inter ſe non conſentiunt. Hic aſſimilat *Caph Hebraico*, כ. Ille Hebraico *Nun*, נ. Alius Græcorum *Kappa*, κ. Alter *Græcanico* χ. Chi. Quæ tamen literæ haud minuta a ſe invicem ſecernuntur differentia. Vir quidam doctus, CRAMERUS *de ara exteriore templi ſecundi* p. 252. cenſet, *Judæos eam ob cauſam hac in re diſſentire, quod Servatoris noſtri crucem deteſtantur, ideoque nolle illam in ſacris olim ſuis quacunque demum ratione adumbratam fuiſſe aut expreſſam.* Stupemus hanc rationem. Quisnam Judæos juſſit, hanc

: traditionem Talmudi infarcire? Nemo unquam
ium de illa cogitaſſet, niſi R. *Menaſſe* docuiſſet,
um eſſe Sacerdotem forma literæ *Chi.* Anti-
res Judæi æque *crucem* horruerunt, ac recentio-
Cur conſarcinato Talmude effatum cruci glo-
ım æternis non damnavere tenebris? Nos itaque
Judæorum invidiam hic, ſed traditionis vanita-
accuſamus, quia veritati facies eſt una, mendacio
rſa. 5) Denique admittamus paululum figmen-
Fitne vero ſimile, per unctionem Sacerdota-
Chriſti Crucem fuiſſe prænuntiatam? Quænam
gitur *unctionem* inter & *crucem* analogia? Un-
, quod ſcimus, Spiritus S. præſtabat Symbolum,
patibuli. Sed & crux Sacerdotis immane quan-
a ligno Servatoris diſtabat. Illam *Andreanæ* ajunt
iſſe ſimilitudinem: hac ratione)(vel X. Quan-
vero hæc diſcrepant ab arbore, unde Chriſtus
dependit †. Cæcus differentiam deprehende-
Hinc tandem inferimus, *Schema crucis in fron-
ontificis effictum*, Hebræorum inſipidum eſſe com-
ıum, & vaniſſimam cærimoniam. Id quod e-
emonſtrandum.

§. V.

eus t. o. m. ſequentia Moſi præſcribit *aromata*,
ıdo ſuffitui ſacro, *Exod.* XXX, 34. *Accipe tibi
ıata*, ſc. *Xylobalſamum*, *Onychem*, *Galbanum a-
ıticum*, & *thus purum.* Quatuor hic ſpecies
ıatum enumerantur, quibus ſuffimentum ſacrum
tabat. Judæis nimis pauca videntur, quapro-
alia adhuc adjiciunt, a Moſe ſcilicet, ſi diis pla-
conſulto prætermiſſa. Audiamus omnium in-

ſtar Rabbinorum Coryphæum *Jarchium*, ſic commentantem *Exod.* XXX, 34. *Docuerunt Rabbini noſtri, quod undecim ſpecies aromatum dictæ fuerint a Deo Moſi in monte Sinai*, (nimirum dictione iſta) AROMATA ACCIPE TIBI, *adminimum duæ comprehenduntur aromatum ſpecies. Dein dicitur* XYLOBALSAMVM, ONYX ATQVE GALBANVM, *quæ tria adjectis duobus ſuperioribus faciunt quinque. Poſtea iterum dicitur* AROMATA, *ut comprehendantur tot ſpecies aliæ aromatum, quot ſunt enarratæ*, (nempe quinque) *ecce decem. Denique additur* THVS. *En undecim.* Quatuor igitur Moſaicis aromatibus ſeptem addunt Rabbini, quæ ſic ibidem recenſentur: *Myrrha*, *Caſia*, *Spica nardi*, *Crocus*, *Coſtus*, *Calamus aromaticus*, *Cinnamus*. Nec hæc ſufficiunt. Inſuper enim, referente Maimonide in *Celim* Cap. 2. ſuperaddebatur *Sal Sodomiticum*, *Ambra Jordanis*, & מעלה עשן, *Maale Aſchan*, *herba*, *cujus beneficio fumus ſuffitus recta aſcendebat.* Hæc additamenta a noſtris Scriptoribus ambabus ampleċtuntur ulnis, quaſi ſacrarum literarum complementa valde utilia, adeo ut non tam Judæorum mendacia, quam Chriſtianorum credulitatem incuſare neceſſe ſit. Rem, uti eſt, conſideremus, & æquitatis trutinemus lance. *α*) Pro certo ponimus, *Sinai montis*, quas jactant apellæ, *traditiones* ad figmenta, & vetularum ablegandas eſſe relationes, cum Prophetæ non ſolum ne minimum quidem earum faciant indicium, ſed imprimis cum ſæpe numero ſacris pugnent oraculis, & ideo a ſapientiſſimo Jeſu vehementiſſime redarguantur, & non ſine ſumma in-

dignatione rejiciantur. Id quidem inficiari nomus, miniſterium templi clarius potuiſſe & diſtinctius Hebræos cognoſcere, quod videlicet oculis quodie uſurpabant: eo tamen prætextu abſit ut inſulſa eorum commenta obtrudi nobis patiamur: cum innumeri ex Judaicis doctoribus templum ipſum nunquam aſpexerint. β) Poſt THYMIAMATIS definitam compoſitionem ſancit t. o. m. Deus: *Suffitum hujusmodi ne paretis vobis. Exod.* XXX, 37. Ergo diſtincte omnes expreſſerat ſpecies, ut qui nollet auſcultare præcepto Numinis, quoque componere ſanctum ſuffimentum poſſet. Atqui, ſi Judæis credimus, in aurem Deus ſoli Moſi inſuſurravit omnia aromata: ille vero, nemini præterquam Joſuæ revelavit, & hic deinceps Senioribus populi. Cui uſui ergo interdictum divinum: non Moſi vetatur, non Joſuæ Suffimentorum præparatio, nec Presbyteris, ſed quibuscunque, איש אשר יעשה כמוה *quicunque demum illi ſuffitui ſimile paraverit.* Qui vero aliquis vel in cogitationem admitteret, ſuffimentum ſacro ſimile ſibi conficere, cujus quam plurimas ignorabat ſpecies? γ) Præterea *magiſtri noſtri* ſibi ipſis & malis quidem avibus non conſtant. Aſſerunt enim, aromata ſingula in monte Sinai ſoli Moſi fuiſſe patefacta, & tamen omnia & ſingula ex vocibus ſacris miro prorſus inauditoque eliciunt artificio. Arrigamus aures! Sic infit Deus t. o. m. *Accipe aromata*, (ſc. quæ ſequuntur.) At Judæi ratiocinantur: *Hinc, quia dicitur aromata, ſequitur, per illud vocabulum minimum duas aromatum indicari ſpecies.* O ſubtile ingenium! Quisnam de tali

myſterio vel leviſſimam cepiſſet ſuſpicionem, ſi Judæis id revelare diſplicuiſſet. At Logicam univerſam enormi hoc ratiocinio conculcant Judæi, quo fit, ut nemo ſanæ mentis illis fidem adhibere hic debeat. Hem, vocabulum *aromata* ad minimum notat *duas ſpecies*! Ita eſt. Nec id in quæſtione ponitur, nam & centum, & mille ſpecies notat. Cur itaque heic loci non centum, non mille: Sed præciſe duas determinat ſpecies? Id volumus. Inſuper quid in alias inquirimus ſpecies, quam quas ipſe Deus enumerat. A ROMATA *accipe*, illud genus eſt. En ſpecies: *Xylobalſamum*, *Onychem* &c. Quid abſurdius, quam in nomine *generis*, etiam *ſpecies* quærere, ſi ſpecies ipſæ recenſeantur. *Exod.* XXVIII, 4. ſcribitur: *Hæc ſunt veſtimenta* (Aharonis,) *pectorale*, *Ephod*, *pallium* &c. Judæorum ſi ſequimur Logicam, per vocabulum, *veſtimenta*, ad minimum duas veſtes non memoratas intelligere debemus. Riſum teneamus. *δ*) Pergit Deus: *Accipe tibi aromata*, *Xylobalſamum*, *Onychem*, *Galbanum aromaticum*, חלבנה סמים. Fatentur Critici, vocabulum סמים *Sammim* cum Galbano ideo hic conjunctum, ut Galbani caperetur ſpecies præſtantior. At Judæi *Sammim* ſeparatim exponunt, & ita argumentantur: *Quoniam jam quinque ſpecies ſunt recenſita*, *& hic repetitur vox aromata*, *ſequitur ea adhuc quinque alias indicari ſpecies*. Judæos vulgo ſtupiditatis accuſamus; contrarium videlicet incomparabilis hæc argumentandi ratio coarguit. Noſtrumne quis unquam, quantæcunque eruditionis ſimilem protuliſſet Syllogiſmum? Scripſiſſet aliquis: *Congrega tibi ani-*

antia, *leonem*, *lupum*, *urſum*, & *alia animalia*, *idem*, *vulpem*, *canem*. Nos quidem hic beſtiarum genera inveniremus. At Judæi admirabili ſua logica tredecim. Quinam? Animalia, vox, ad minimum duo indicat. Adde leonem, urſum, lupum. En quinque. Iterum vox animalia, totidem ſpecies innuit, en decem. Adde tres ſuperſtites, en tredecim. Parce, precor, precor, ne ilia rumpantur. γ) Nihil magis Rabbinicum mendacium in apricum, veluti e fovea colubrum, producit, quam *ficta aromatum ſpecies*, quæ nullibi, niſi in Utopiæ ſolo creſcunt, & propullulant. E. gr. PLANTA, cujus virtute fumus ſurſum recta in altum elevatur, d. מעלה עשן, *Maale Aſchan*, quam quidem fruſtra in India orientali & occidentali Botanici noſtri inveſtigarent, cum ſit ejusmodi virium herba in omni rerum natura inaudita. In *Jordanis* litore vero nemo ſcripſit *Ambram* reperiri. Quapropter luce meridiana clarius eſt, adjecta Judæis ſuffitui ſacro aromata a Deo Moſi in monte non injuncta, ſed a fabulatoribus apellis inventa, quovis modo explodenda eſſe & exſibilanda. Placuit Viris quibusdam doctis aliunde probare, plura adfuiſſe thymiamati aromata, quam Moſi referuntur: hisce vero cum abunde ſatisfactum ſit ab *clariſ.* HAMM in *lib. de ara inter.* qui meditantibus hæc nobis obvenit, decedimus, & Lectores illinc amandamus.

§. VI.

Ad hircum AZAZELEM noſtra ſe convertat oratio, qui multam nobis diſſerendi præbebit materiem. AZAZELEM illum fuiſſe hircum, qui ma-

gno expiationis die, populi delictis oneratus, in deſertum emittebatur, ex *tertio Moſis libro*, abunde conſtat. Ad ſacram relationem, traditiones magno numero & copia conferunt Judæi, a nobis hic, uti calamo occurrunt, ponderibus librandas ſuis, & examinandas. *Hirco* urbi educendo parabatur *pons*, cujus rationem nos doceat JOMA *Cap.* VI, 5. *Pontem hirco fecerunt*, *propter Babylonios* (vel Alexandrinos Judæos, & Proſelytos) *qui* (eum urgebant) *crines vellicabant*, *&* *dicebant: Vade & exi.* (*Quare diutius manet hircus iſte*, *cum peccata populi tam numeroſa ſint.*) *a*) Hircus e templi porta orientali egrediebatur, montem olivarum reſpiciente, a quo valle Cedronis ſeparabatur, ſpatio circiter *bis mille cubitorum.* Judæis itaque inſidet animo, *porticum* non ſolum hirci emiſſarii in gratiam, ſed & Vaccæ rufæ comburendæ fuiſſe exſtructam, a templo ad montem pertingentem: Quod incredibile nobis videtur. *Pons bis mille cubitorum*, lapidibus erectus, & lapideis fultus columnis, impenſas flagitabat ingentes, præſertim quia ſingulis annis de novo inſtaurabatur. At, ut de vacca rufa nihil dicamus, non opus erat tantum laborem propter Hircum non vexandum ſuſcipere. Nam judaicam plebem demus in ponte ipſo Hirco non potuiſſe injuriam facere, nonne eundem trudere & vellicare poterant ponte ſuperato? Nonne in ipſo templo, antequam ad pontem pervenerat? Porro pontis tot cubitorum ædificatio non unius erat diei, ſed multorum opus menſium. Id vero quotannis repetitum quisnam crederet? Quod ſi repetitum non eſt, omnibus tem-

po-

ribus. ergo pons fuit, aditum a templo præbens montem. Atqui de ſtupenda ſtructura *Joſephus*, c alius quivis Scriptor ne verbulum quidem meorat. Sequitur pontem iſtum nullibi niſi in corupta Rabbinorum imaginatione ſtructum, ut infiitam fabulam, ſpernendum eſſe. ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

§. VI.

Hirco egreſſuro alligabatur *vitta coccinea*, quæ propter formam vocabatur LINGVA, cujus integram hiſtoriam SHERINGHAMIUS ex *Gemara* adduxit *Jomæ Cap.* VI. *In principio* COCCINEA LINGVA *veſtibulo templi affixa erat, & 40. annis quibus Simeon Juſtus Sacerdotio functus eſt, ſemper albeſcebat: ex eo tempore aliquando albeſcebat, aliquando non albeſcebat. Cum albeſcebat, populus gaudebat & lætabatur; hoc enim ſignum erat peccata ipſis remiſſa eſſe: cum non albeſcebat, ſinguli ejulabant & pudore ſuffundebantur. Statuerunt igitur, ne qui hircum in deſertum duceret, partem ejus ad rupem, & partem inter hirci cornua alligaret, ne in conſpectu populi ſuffigeretur.* Tradunt inſuper Talmudici, *linguam Coccineam in duas partes diviſam eſſe, ne ſi tota ad rupem appenſa fuiſſet, ſubito albeſcere contigiſſet, & proinde, qui hircum duxiſſet, præ gaudio ſui oblitus, eum a rupe non deturbaſſet, ſed peractum eſſe mandatum ejus & peccata ipſis remiſſa eſſe exiſtimaſſet. Si autem tota ad frontem hirci appenſa fuiſſet, futurum eſſet, ut qui hircum duceret, neſciret aliquando an albuiſſet, quia hircus præceps ferebatur.* Senſus totius rei eſt, hirco inter cornua annexam fuiſſe partem lanæ coccineæ, cujus ſi rubedo in al-

albedinem migraſſet, indicium populo præbebat ſcelerum condonatorum. Atque hinc elucidant dictum *Propheta Jeſ.* I. *Si fuerint peccata veſtra ſicut coccus, inſtar nivis albeſcent.* Integra hiſtoriola Chriſtianis quamplurimis valde arriſit, unde etiam negantem *Friſchmutum* cenſoria virgula perſtringit *Lundius* p. 1038. Zwar halten etliche dieſes vor Jüdiſche Fabeln / als *Friſchmut, de hirco emiſſ.* Aber es iſt nicht alles flugs Fabel-Werck / was die Hebräer ſagen / und wo man keine rechte und gründliche Urſachen hat von ihrer allgemeinen Meinung abzugehen / da bleibet man nicht gar unſicher dabey. Die Schrifft ſelbſt ſcheinet hierauff zu zielen Jeſ. I, 18. Ita ſane eſt, non omnia, quæ Hebræorum ora egrediuntur, mendaciis adſcribimus: at, qui rationes, quas *doctiſſ. Friſchmutus* attulit: & quæ nobis proferentur, vel obiter perpendet, fatebitur ſine dubio, *linguam coccineam*, vaniſſimis Verporum commentis & maxime ridiculis eſſe accenſendam. *α*) Principio Dei ipſius mandato *coccinea* pars *lana* non innititur, cum ne vel minimam ſacra Scriptura legentibus illius ſuſpicionem injiciat. *β*) Rem admiratione quavis digniſſimam, rufi coloris in album transmutationem ſiluiſſet *Joſephus*? Non ſiluiſſet omnino, ille ſollicitus rituum Ebraicorum enarrator, qui hoc perpetuum miraculum, in laudem populi maxime cedens nulla taciturnitate obvolviſſet. At eum fruſtra hoc in negotio conſulimus. *γ*) Argumentum Rabbinicum petitum videtur ex loco *Jeſaia* citato; ſed doctiores Rabbini, *Kimchius* & *Abarbanel*, dum in illum commentantur;

, *vittam rufam* ſicco plane pede prætereunt. Ex verbis *Jeſaiæ* abſurdiſſime *lingua coccinea* eliır, quia Propheta alludit ad v. 15. *Manus veſtræ* ב דמים SANGVINE *ſunt repletæ.* Hinc mox eıntiſſima paronomaſia fatur, יאדימו, *ſi* SANGVIɔ COLORE *peccata veſtra extiterint.* Profecto *ua* rubea non *ſanguini*, ſed *cocco* intingebatur, ındum Judæorum ſcitum. *ε) A temporibus Sinis juſti*, ajunt, *coccineam linguam interdum run ſervaſſe, interdum in album tranſiiſſe colo-, ob peccatorum multitudinem.* Eſt vero in prolo, nunquam non maximam gentis Judaicæ em impiam, paucos numeraſſe pios. Quæritur, quamnam ob cauſam priſcis temporibus linſemper rubicundum exuiſſet colorem? Num cando, Deum quoque præfractis iniquitates pecribus condonaſſe? Sin minus, quænam albediərat ratio? Porro Simeone juſto extincto, dum n non amittebat colorem lingua, Deus Sann populo ſuis, non remiſerat delicta? Hæc ſiinime conſtant, ut quilibet videt. *ϛ) Diviſæ æ*; cujus pars rupi, pars fronti Azazelis annetur, *ratio*, figmentum in lucem protrahit. Siceum, qui hircum comitabatur, ſubitanea vittæ tio ita mente dimoviſſet ſua, ut partem officii iſceretur? Quæ abſurditas! Atqui ſi pars rupi ɛa albedinem aſſumebat, cur non pariter menɛidebat? Nos e contrario exiſtimaremus, Villum albeſcente lana recreatum eo fortius Hirɔræcipitaſſe. Hanc videlicet lætitia virtutem ha- vires corpori reſtituat, non minuat.

§. VIII.

§. VIII.

Inter Hieroſolymam (ſunt Rabbinorum placita) *unde Hircus progrediebatur, & montem Zuk, ad quem deducebatur, decem erant tabernacula, a ſe mille paſſus diſtantia. Singulis tabernaculis inerant homines, cibum ei porrigentes, ac dicentes: Ecce cibum, ecce potum.* Decem illa tabernacula & cibus Azazeli ſuffectus, ingenio debent judaico originem, verbis in ſacris hujuscemodi nihil latet. *Hircus* ſine comitibus, præterquam duce, proficiſcebatur. *Deportabit eum*, inquit Scriptura, *vir opportunus.* Non, comitentur eum nobiles Iſraelitæ a tabernaculo uno ad alterum. Mons, quorſum pergebat Hircus peccatis gravis, Rabbinis nominatur *Zuck*, unde a comite ſuo retrorſum impellebatur, ut decidens de rupe *in fruſta diſſiliret.* Narrant ſcilicet *Rabbini, Hircum ſæpius in urbem rediiſſe, & triſtia populo portendiſſe:* unde cautum, ut in poſterum infelix hircus *morte plecteretur.* Nonnulli tamen *ſupplicium Hirci* Deo ipſi imperatum autumant ex *Levit.* XVI, 22. ubi dicitur, *Hircum portaturum peccata* אל ארץ גזרה *in terram* EXCISIONIS. Per *terram* vero *exciſionis* intelligunt locum, *in quo membra exſcinderentur.* Jam hæc omnia vel præceptis coeleſtibus adverſantur, vel falſi odorem ſpargunt. *a) Mons* ZUCK incaſſum a *Ligtfooto* quæritur *Tom.* II. p. 210. Quidam ex Judæis ſcribunt, *quamvis rupem* aſperiorem excelſioremque ſic vocari, alii, *nomen* eſſe montis *proprium.* Colligit vero *Ligtfootus*, ex quibusdam Talmudicorum teſtimoniis, *hircum emiſſum fuiſſe verſus* Betheronem, *rupes habentem in vicinia horridas aſperrimasque.*

maſque. Quæ ſane *Viri* magni magna eſt aberratio. Hircus exibat portam templi, reſpicientem montem oliviferum, qui urbi ab *oriente* obvertebatur, & ſic via illius recte tendebat verſus deſerta Judææ, Jordani vicina. Atqui *Bethoron* plane oppoſitam plagam ſpectabat, nempe *Occidentem;* ut conjectura hæc nullius ſit momenti. β) Deus t. o. m. *Azazelem* non ad montem *Zuck*, ſed ad ארץ גזרה TERRAM ABSCISSAM ablegabat. Judæi perabſurde: *Quia Hircus ibi exſcindebatur.* Dicendum fuiſſet: *In terram abſciſſi Hirci.* Nec ſic bene. Hircus enim non abſcindebatur, ſed præceps agebatur, Judæis ſi credimus. Scriptura vero *terram abſciſſam* alibi, nempe v. 21. per *deſertum* exponit. Et quidem appoſite. *Inſulam* Arabes nominant אלגזירה *Algezira*, quaſi a continente diſſectam. Quod ſi inſulis abundaſſet terra ſancta, in eam libentes ablegatum vellemus Hircum. His vero deficientibus exiſtimamus, *terram exciſſam* eſſe *terram incultam* & inhabitatam, deſertis, rupibus, montibus ſuis, ab agris ſatis, & cultis locis quaſi ſeparatam, & ſejunctam. Illinc in exilium deferebatur *Azazel.* γ) Hircum de monte Zuk *præcipitem* actum vel fabula eſt, vel legis divinæ infractio. Lex jubet, *Hircum* VIVUM *in deſertum emitti.* Ergone dimiſſio libera, & de monte detruſio unum eſt idemque? Uti *dimiſſio*, ita *præcipitatio* diſertis verbis præcipienda erat, quoniam nulla relatio inter hæc negotia intervenit. Lepra purgandus Sacerdoti duas aves adducebat, quarum unam mactabat Pontifex, alteram *emittebat* שלח, *Levit.* XIV, 7. Eadem Phraſis de Hirco uſurpatur. Er-

Ergo ſi caper monte dejiciebatur, & avis protrudenda erat. *Typum* etiam eundem utraque cærimonia præſtabat. Hircus immolatus & volucris mactata cæſum adumbrabant Meſſiam, dimiſſus & hircus, & avis eundem vivum e mortuis excitatum. Perit vero omnis antitypus, hircum ſi ſtatuimus de rupe dejectum. Etiam inter *præcipitationem* & *crucem* Chriſti nulla eſt ſimilitudo, quia Hircus in fruſta minutiſſima comminuebatur, Meſſiæ corpore relicto integro, non fracto. *δ*) Rabbinis ipſis fatentibus caper antiquitus de ſaxo, non detrudebatur: at at poſtquam interdum in urbem rediiſſet, ſuperſtitioſus populus exiſtimans, illum peccata reportaſſe, veluti oſtento terrebatur: Hinc Rabbini ſancivere, Tragum poena afficiendum eſſe. Jam demus *Hircum revera de colle detruſum*, ſecundum Rabbinicum decretum. Cum ergo Deus t. o. m. nihil de *Hirci pœna* dictaverit, cur eo delabuntur Chriſtiani, ut ex Rabbinorum ſcitis, e ſuperſtitione ortis, & verbo Dei vivi adverſantibus nobis *figuras* & *adumbrationes* Servatoris noſtri extundant, & multis verbis, quaſi inventum pulcherrimum proponant Iterum iterumque dico, *Hirci præcipitationem* non a Deo, ſed inſanientibus Rabbinis contra Dei præceptum injunctam. Nos igitur typos ſcrutabimur in iis, quæ legi divinæ contrariantur. Μὴ γένοιτο. Et tamen *Rhenferdius*, poſt alios viros doctos, comparandis hiſce nugis cum expiatorio Chriſti munere multum temporis & verborum impendit. Scripturæ ſtandum eſt, non anilibus Magiſtrorum nugamentis, quibus nihil ſani, præter verba ineſt. Sed hæc ſufficiant

de

Hirco *Azazele*, ne ſermo nimium excreſcat, & ıoenitatem amittat: Alio tempore totum proceſſum ei expiationis trutinabimus, ut Judæorum affaniæ, ıibus utinam non ita noſtri fidem adhiberent, in graviſſima, luculenter appareant.

§. IX.

Priusquam plane decedamus, ne æquis lectoribus : veritatis amantibus Hebræorum inſolentia triſtiam ingerat, riſum narratione perquam ridicula comıoveamus. Theſaurus in templo reconditus, ter ıuotannis ad ſacros uſus evacuabatur. Itaque in ractatu *Schekalim* legimus, *Cap.* III. *Qui ingrediebatur conclave ad educendam pecuniam, eum oportebat nulla veſte indutum eſſe, in qua poſſet occultari pecunia, nec calceatum, nec Phylacteriis ornatum, quia ſub hiſce, & calceis poterat abſcondi pecunia. Cum ingreſſus erat, cuſtos ſtabat ad januam extrinſecus, & dum intus erat, perpetuo cum eo colloquebatur, eique reſpondendum erat, ut ne poſſet pecuniam aliquam in ore occultare. Non incipiebat exhaurire, quin hoc iis, qui extra erant, ſignificaret, dicendo: Exhaurio. Illi vero ter reponebant, exhauri, exhauri, exhauri.* Quanquam hæc narratio a veritate perquam ſit aliena, & futiliſſima, ſatis ſuperque tamen furaciſſimum Judæorum animum veluti ſorex prodit. In *veſtibus*, *calceis*, *phylacteriis*, *ore*, nummos ſacros furto ablatos recondere, quid demum eſt ſacrilegium, ſi hoc non eſt. Siccine nec loci reverentia, nec Numinis præſentia timorem avidiſſimis auri Judæis incutiebat, ne manus ſacra pecunia pollucrent: Eamque ipſam ob rationem, inſulſiſſimis cæ-

cærimoniis opus fuerit, cavendo ſacrilegio? Sed inſpiciamus examen. *α)* Theſaurum depromturo *veſtes erant exuendæ*, ne numiſmata in illis abſconderet. Hem *veſtes deponendæ*! Nonne promi condi veſtimenta egreſſi perſcrutari poterant cuſtodes ad januam commorantes, nonne calceos detrahere, phylacteria excutere, perquirendis abſconditis Siclis? & quid ſi aliquos reperiſſent? Furem ſcilicet *ἐπ' αὐτοφώρῳ*. deprehenſum aliis in exemplum gravi ſupplicio affeciſſent? Et hoc melius fuiſſet deterrendis aliis, quam veſtium depoſitio, quia exuta tunica, animus furax non exuebatur, fortioribus remediis ſupprimendus. *β)* Promus condus perpetuo exclamabat: *Exhaurio*. Ne ori nummulum ingereret. Demus, furi, indito nummo, vel loquelam manſiſſe liberam, vel non. Si etiam cum nummo fur ſuum *exhaurio* vociferari poterat, cui bono illa mutua vociferatio? Si nummus linguæ impedimento erat, verumquidem eſt, eum clamare nequiviſſe, *exhaurio*, At demus, & ſiluiſſe cuſtodes, & furem. Hunc quidem os Siclis repleſſe, quid vero cuſtodibus ad januam excubantibus, veluti circa vellus aureum Draconibus, quid, inquam, illis dixiſſet? Silentium furtum manifeſtaſſet, & ſermocinanti argentum, veluti corvo caſeus, apud Æſopum, faucibus excidiſſet. Apage igitur inficetam cærimoniam. *γ)* Quod ſi tantus furti metus ſollicitabat theſaurarios, cur uni homini committebant negotium, & non pluribus, cur cuſtodes ingreſſu abarcebantur, cur ipſi non aderant præfecti ſactilegio impediendo? Quo latere hiſtoriam aſpi-

ɔicimus, Judæos deprehendimus fures, mendaces, ſurdos: I. Q. E. D.

Cap. IV.

ZAZELEM, IPSVM HIRCVM ECCATIS ONVSTVM, ET IN DEERTVM MITTENDVM DESIGNARE, GRAIBVS ARGVMENTIS OSTENDITVR, REMOTIS, QVÆ TORSERANT INTERPRETES, DIFFICVLTATIBVS.

ARGVMENTVM.

De *Azazele* non una interpretum ſententia. §. I. *Azazel* quater occurrit Levit. XVI. *Judæis* eſt *diabolus*, quod exploditur. §. II. *Abarbaneli* deſignat *populum Iſraeliticum rebellem*. §. III. Aliis Judæis *montem*, unde hircus emiſſarius præceps dabatur. §. IV. *Bocharto* vox eſt *Arabica*, *Azazil*, i. e. *ſeparationes*. §. V. *Deylingio locus* ignotus *Arabiæ Petrææ*. §. VI. Quibus omnibus refutatis monſtratur, *Azazelem* ipſum eſſe *Hircum emiſſarium*. §. VII. Expediuntur difficultates. Qui dicatur, hircorum unum ceſſiſſe *Domino*, alterum *Azazeli*. Modus ſortitionis. §. VIII. IX. Qui hircus *Azazeli* miſſus? Triplex nodi ſolutio. 1) *Lamed* Pleonaſticum, & accuſativi nota. Laazazel idem quod את עזאזל. 2) *Laazazel* nomen hirci proprium. 3) *Laazazel* pro להיות לעזאזל. §. X. Ultimus locus exponitur *Levit.* XVI, 26. §. XI. Objectiones ſolvuntur. עז etiam *hircum* notat. §. XII. *Bocharto* ſatisfactum. §. XIII. Et *Deylingio*. An Deus melius dixiſſet שעיראזל *Schabirazel.*

§. I.

Svperiori *capite* nænias judaicas Azazelis in gratiam excogitatas exploſimus: cum vero

eruditi in nomine AZAZELIS non conſentiant, extra oleas non ſperamus nos evagaturos, ſi ſingulari hanc rem meditatione excutiemus. Apprime ſcilicet inſerviet ſcopo noſtro, & conferet aliquid illuſtrandæ ſacræ Antiquitati. Eam vero indiximus nobis methodum, ut primo, varias virorum doctorum *etymologias* recenſeamus, hisque refutatis noſtram *ſententiam* promulgeamus, & denique *objectionibus*, quæ moveri poſſent, reſpondeamus.

§. II.

AZAZELIS mentionem agit *Moſes Levit.* XVI. & quidem eo capite ſolo, ſed quater, *verſ.* 8. 10, bis, & 26. Verba ipſa ſuo tempore luſtrabimus. Res concernit *Hircum*, quem Deus t. o. m. in magno expiationis die vivum, ſed populi delictis oneratum in deſertum educi juſſerat, cum hoc videlicet nomen *Azazelis* conjungitur, ſed conſtructione perquam obſcura, quæ in devia abripuit commentatores. 1) Igitur *Judæorum* quamplurimi, qua feruntur amentia, per *Azazelem* DIABOLUM intelligunt. Dicitur v. 10. לשלח אותו לעזאזל, quod exponunt, *ad mittendum eum* (hircum) AZAZELI. Hinc Rabbi *Eliezer*: סמאל הוא עזאזל *Sammael ipſe eſt Azazel.* SAMMAELIS nomine apud eos dæmonum princeps venit. Addunt etiam rationem: *Ne Sammael ſacrificia illius diei turbaret, dant ipſi hircum hunc muneri.* Putabant, hircum flagitiis gravem aptum Satanæ munus eſſe. Si quærimus, qui Spiritui maledicto nuncupatio *Azazelis* competat, ajunt, *componi nomen ex* עז *fortis*, & אזל, *abiens*: q. d. *fortem illum Spiritum eo die procul abire & recedere.* Quæ omnia tam abſur-

ſurda ſunt, blaſphema & impia, ut Judæorum ingenium hinc ſatis eluceſcat. Diabolum *Azazel* deſignabit? Diabolo placando caper donabitur? At Deus t. o. m. hircum inſtituit emittendum. Ergo Deus Satanæ animans muneri mittit? חס ושלום. Tantam amicitiam ſupremum Numen cum Draconi antiquo non colit. Si longius progrediamur, *Meſſiam* hircus ſceleribus onuſtus depingebat. Ergone Meſſias Angelo reprobato in poteſtatem tradebatur? Ergone expiatorium ſacrificium Serpenti fiebat? Quam horrendum, & dictu enorme! Quia vero illud ipſum inconveniens jam ab aliis oſtenſum eſt, nihil addimus, niſi, falſiſſimam eſſe etymologiam, cum falſa ſit originationis ratio.

§. III.

II.) Abarbenel miram fovit opinionem. *Vocem Azazel*, ait, *ſignificare populum perfrictæ frontis, ex* עז, *impudens, & in exilium abeuntem, ex* אזל *Azal, abire*, putatque, *Hircum illum præſentare ipſum populum Iſraeliticum impium, & peccantem aque Deo, veluti hircum emiſſarium, in exilium agendum & exſtirpandum.* Coactam ut prætereamus derivationem, nulla ratione admittimus, *rebellis populi imaginem* extitiſſe *caprum*, quanquam non neſciamus, magnos quosdam viros in illam inclinaſſe opinionem. *α*) Hirco pondus peccatorum totius imponebatur coetus. Num vero impiis Judæis piorum peccata ſunt, impoſita? Num improbi pœnas, quas probi meruerant, exantlarunt? Minime gentium. Quod luunt ſceleſti, pro ſuis luunt ſceleribus. *Ne pater pro filio, nec filius pro patre moriatur.* Scitum

tum eſt ipſius Dei. β) *Hircus ſecum auferebat delicta Levit.* XVI, 22. Quis vero dixerit, impios piorum transgreſſiones auferre. Qui aufert electorum ſuorum peccata, *Chriſtus* eſt: non Eccleſia reproborum. Ergo & hanc rejicimus nominis cauſam.

§. IV.

III.) Alii Judæorum ſtatuunt, *hircum* in ingentis *montem* altitudinis ductum, indeque eſſe præcipitatum, eumque *Azazelis* nomine indicari. Sic Jarchi: AZAZEL *eſt mons* עז, i. e. *fortis*, *durus*, *&* *aſper*, *& altus*, *in quem* אזל *abiit caper iſte.* Plures Chriſtianorum ſuffragium huic opinioni deferunt. Satis tamen multa ad proſternendam eam congeſſit *Bochartus ὁ πάνυ*, qui videatur *Hieroz.* p. 653. α) Solet nempe Scriptura *montibus* nomen הר adjicere. Ut *mons Abarim*, *mons Garizim* &c. ſic dixiſſet: *mons Azazel.* β) Hircus in *deſertum* emittebatur, non in montem. γ) Uti non vocatur *hircus deſerti*, quia in deſertum ablegabatur, ita non vocari poteſt *hircus Azazelis*, ut ut monti fuiſſet deſtinatus.

§. V.

IV.) Eidem *doct.* BOCHARTO ex Arabia placuit *Azazelis* originem arceſſere. Nimirum ex עזל, *Azala*, quod *ſeparare* notat, plurale formatum eſſe ſubſtantivum עזאזל AZAZIL, i. e. *ſeparationes*, χωρισμὲς, vel ἀναχωρήσεις. Sic recte dici, *hircorum* unum *Domino* fuiſſe ſervatum: illum videlicet, qui ſuper altari mactatus in cibum cedebat Deo, quod de victimis legitur *Levit.* XXI, 6. Alterum vero ſervatum לעזאזל, *ad Azazel*, πρὸς ἀναχωρήσεις, i. e. *ut in locum deſerti remotum & ſeparatum deducatur.*

Suo

Suo non caret acumine ſententia. Nobis tamen a Viro magno diſſentire integrum eſto. *α*) Moſes quanam de cauſa *Arabica* hic utitur dialecto? defuitne ipſi vocabulum *ſeparationi* indicandæ? Minime. Nam abundant Hebræi verbis, *ſeparare*, *ſecedere*, *removere* indicantibus. Qualia ſunt ex. gr. גרש, נדד, בדל &c. *β*) Cur *Pluralem Azazil* uſurpat Moſes, unane non ſufficiebat ſeparatio? Nempe quia *Singularis* analogiam cum noſtro *Azazel* habet nullam, pluralis adhibendus. At at *Azazil* nec in ſingulari nec plurali occurrit: quod ipſi Bocharto confeſſionem extorſit, *ſe de hac voce nihil habere certi*. *γ*) v. 10. ſcribitur: *Ad emittendum hircum* AZAZELI. Id Bocharto exponitur: *Deceſſui*, *ſepa rationi*. Quid vero eſt, *ſeparationi mittere?* Hircus dum emittebatur, a coetu populi ſimul ſeparabatur. Non igitur opus eſt voce *Azazel*, *ſeparatione:* cujus vis τῶ *emitti* includitur. Senſit nodum Bochartus. Igitur mox pro *ſeparatione*, ſubſtituit, *loca remota*. Quaſi vero *ſeparationes* a *locis remotis* ſignificatione non diſcreparent. Nullo exemplo ultima notio adſtruitur. Nec neceſſaria locorum remotorum hic eſt mentio, quia diſerte locus definitur המדברה *deſertum verſus*. Atqui deſertum, locus eſt diſſitus.

§. VI.

V.) DEYLINGIUS, *Vir doctus*, *obſerv. ſacr. lib. 1.* p. 52. *Azazel* pro nomine *loci* in deſertis Arabicis; accipit, quo prima vice hircus emiſſarius ducendus erat. Nos vero non diſſitemur nobis valde hanc ſententiam diſplicere. *α*) Nullibi gentium *locus Azazel* memoratur. Nec effugium datur Autori,

 locum

locum novum, & inauditum effingenti, dum addit: *In* INVIIS OBSCVRISQVE *Arabiæ Petrææ deſertis.* Quaſi ſcilicet loca *obſcura deſerti* cognitionem aliorum hominum non ſubiiſſent. Verum non adeo *Arabia Petræa* tenebris involvitur, uti Autor exiſtimat. Cum multis gentibus pugnandum erat Iſraelitis, deſerta illa incolentibus, cum Amalekitis, Midianitis, Edomæis, Cananitis. Si locus *Azazel* non longe aberat a monte Sinai, uti diſerte notat, profecto, ignotus adeo eſſe non potuit, ut nemo de illo ſcripſerit. β) Ex re obſcura obſcurum petitur argumentum. Locus *Azazel* obſcuriſſimus eſt, & a nemine repertus. Ergo obſcuriſſimum, hircum in *locum Azazelem* fuiſſe amandatum. γ) Sed quid argumenta conquirimus. *Levit.* XVI, 22. dicitur: *Portabit hircus iniquitates* אל ארץ גזרה, IN *terram abſciſſam.* Et mox; *Emittat hircum* במדבר, IN *deſertum.* Quod ſi *Azazel* eſt *terra abſciſſa*, uti *Deylingius* autumat, quare non ſcripſit Moſes: אל AD *Azazel*, ſed ſemper, *Laazazel*, AZAZELI. Et quare non, בעזאזל *Baazazel*, IN *Azazelem*, uti, IN *deſertum.* Exinde luce meridiana clarius evadit, differre quam maxime *locum*, ab *Azazele.* δ) Poſſemus etiam ſic argumentari: Primus hircus mactandus dedicatur ליהוה, *Domino.* Alter *Laazazel*, AZAZELI. Num vero ſanæ rationi non pugnat, hircum *loco deſerto* conſecrari. Ita profecto eſt. Nam deſerto non dicabatur, ſed in deſertum emittebatur dux gregis ipſe caper.

§. VII.

Perſpectis eruditorum de *Azazelis* vocatione pla-

placitis, quibus aſſenſum denegamus, ſupereſt una ſententia, quam multis arriſiſſe ſcimus atque tenemus, a quibus tamen cum difficultates non ſint expeditæ, eam ipſam nos defendendam hic ſuſcipimus, aque nodis quibuscunque liberandam. Azazel Hebraice eſt, quem nos *Hircum Emiſſarium*, Græci Τϱάγον ἀποπομπαῖον appellitant. Componitur vox ex עז, *Capro*, & אזל, *Azal abire*, ut ad verbum ſit עזאזל Azazel, Hircus abiens, quo profecto etymo clarius aut facilius nullum dari poteſt. Rationibus tamen ſuis fulciatur. α) Ipſe hircus, qui alias שעיר, Schahir vocari ſolet, diſertiſſime tamen hic per עז, *Ez* innuitur *Levit.* XVI, 5. *Accipiat a filiis Iſrael Sacerdos* שני שעירי עזים, *duos hircos caprarum.* Hirci caprarum locutio Ellipſin involvit. Clarius pronunciaretur שעירים בני עזים *Hirci filii caprarum*, e capris nati. Ergo etiam in עז *Ez* vox בן *Ben* ſubintelligatur, בן עז אזל filius capræ abiens, & inde elliptice עז אזל. Cujus & ſimilis *Ellipſios* ſpecimina frequentiſſima adducere poſſemus. Vid. *Glaſſ.* p. 681. & *Hiller. Grammat. Synt.* p. 9. β) Quod ſi Ellipſis haud placeat, nihil impedit, quo minus in Guſſetii tranſeamus caſtra, qui clariſſime demonſtravit, עז etiam *maſculino* gaudere *genere*, & ſic de *capro* æque ac *capra* uſurpari. V. gr. *Gen.* XXX, 33. כל אשר איננו נקד וטלוא בעזים *Omne quod non punctatum & maculoſum inter* capros. Sunt enim adjectiva maſculina. Sic *Levit.* XXII, 27. Lex datur de foetu caprino ante ſeptimum diem non edendo, quæ lex temere ad *foemellas* reſtringeretur, ut ut ſola vox עז adhibeatur. Porro

עז *Ez* ibidem in eo ritu ſociatur cum שור *bove*, quod nomen *maſculos* certo etiam comprehendit. Ergo habemus Azazel, *hircum abeuntem.* *γ*) Verbum אזל *Azal* Moſi non fuit peregrinum. Adhibet enim *Deut.* XXXII, 36. Ut adeo vocibus ipſis nihil inſit difficile, nec deflectere debeamus ad linguam Arabicam, aut ad alienas contortasque derivationes, ſed ſimpliciter verbis inſiſtere.

§. VIII.

Jam progrediamur ad principem noſtræ diſſertationis partem, & oſtendamus loca ſ. Scripturæ, data hac expoſitione *Azazelis*, parum in ſe perplexi continere. Primo v. 8. ſic legimus: *Et dabit Aharon ſuper duos hircos* גורלות sortes. *Sors una* ליהוה, Lahovah, *ſors altera* לעזאזל laazazel. Bochartus hæc ita exponit: *Et ſortes ponet Aharon ſuper duos hircos, ſortem unam* pro domino, *ſortem alteram* pro azazele. Male. Quaſi ſcilicet hic ageretur, de *ſortitionis eventu*, quo factum, ut unus *Domino* hircus, alter *Azazeli* ceſſerit. Nihil minus hoc hic loci agitur. Nos, ut mentem noſtram probe explicemus, locum ſic vertimus: *Aharon dabit* (ponet) sortes *ſuper duos hircos: Sors una* (ſ. Schedula in qua ſors notata erat) *inſcriptum habeat vocabulum*, ליהוה, Domino. *Sorti alteri inſcriptum* eſto: laazazel, לעזאזל. Parabantur videlicet pro numero hircorum *Schedulæ* duæ, quibus ſchedulis *ſors* diverſa & fatum hircorum inſculptum erat. In una ſchedula notabatur vox: Lahovah. Id ſignificabat: *Hircum*, in quem illa ſors cecidiſſet Domino non eſſe præ altero con-

ſe-

ſecrandum, ſed *eſſe ſacrificandum.* Uterque hircus Deo erat. Alter tamen offerebatur, & ſic primario Domino cedebat. Primogenita pura dicuntur fuiſſe ליהוה Domino, ſc. in ſacrificium offerenda. *Exod.* XIII, 13. & ſic ſæpius. In ſchedula altera ſcribebatur: Laazazel. Id ergo non indicabat, Hircum dedicatum eſſe *Azazeli* cuidam *diabolo*, *monti* &c. Minime gentium. Verum: *Sors illa*, ſuper utrum tragorum ceciderit, *erit hirco abeunti.* Hircum conſtituet in deſertum emittendum. *Sors erat Azazeli, non hircus.* Sorte eventus, non dedicatio deſignabatur. Sorte tentabatur, quisnam duorum hircorum in Holocauſtum Domino eveniret, & quis liber, ſed peccatis gravis in deſertum abducendus. De inſcriptione *ſortium* nobiſcum plane ſentiunt Judæi, *Jom.* IV, 1. *Movebat urnam Sacerdos, & ſortes inde educebat. Alteri inſcriptum erat*: Lahovah. *Alteri* כתוב עליו *inſcriptum erat*: laazazel.

§. IX.

Jam noſtra ſententia pleniſſime confirmatur ex *commate* 9. *Et adducet Aharon hircum, ſuper quem* ascendit הגרול ליהוה *Sors Lahovah* i. e. Schedula, in qua exaratum erat Lahovah. Fruſtra verba aliter torquentur. *Sors Lahovah* non eſt ſors *pro Domino*; Verum ſors habens vocem *Lahovah* inſcriptam. Sic v. 20. *Et Hircus, ſuper quem aſcenderit* הגורל לעזאזל i. e. Sors laazazel, Sors quo hircus abiens deſignabatur, quod verbo

Laazazel innuebatur. Quaſi dicas, SORS ILLA EVENIAT AZAZELI, ſ. hirco emittendo.

§. X.

Scopuli duo ſuperſunt, quibus ſuperatis, depugnatum erit. v. 10. porro ſcribitur: *Hircus alter, cui Sors Laazazel obvenerit, vivus coram Domino ſiſtatur, & emittatur* לעזאזל LAAZAZEL, *in deſertum.* Hic vero clariſſime videtur per *Azazelem* aliud quid indicari, quam caper ipſe. Nam mittendus erat hircus Azazeli. Atqui ſibi ipſi mitti non poterat. Hoc in transverſum egit interpretes, ut in *Azazele Azazelem* non invenerint, claro licet lumini expoſitum. Omnium conſenſu commentatorum patet, ſi verba *commatis decimi* non eſſent, neminem unquam dubitaturum, quin *azazel* hirci ſit nomen emiſſarii. Itaque inferimus. Ex facilioribus, & claris difficilia & obſcura exponenda eſſe. Atqui clariſſimum, Azazelis hirco competere denominationem. Hinc ergo difficultati obviam erat eundum. Interpretes vero aliam longe ineunt viam. Omiſſo Azazele Hirco tenebras ſectantur. Ex obſcuriſſimis rebus obſcuras producunt expoſitiones. Diabolus nomine Azazel, mons Azazel, deſertum vel locus Azazel ingenii commenta ſunt & rationis entia, prætereaque nihil. Haud ergo poteſt hinc locus luce donari. Nos firmiſſimo poſito fundamento, Hircum ab Azazele non niſi nomine diſtare, quæſtioni, qui caper Azazeli mitti queat, non uno modo ſatisfaciemus. α) Primo literæ *Lamed* nullam rationem hic habemus לשלח אותו לעזאזל.

לעזאזל i. e. *Ad mittendum eum* Azazelem. ל *Lamed* crebro Accuſativi notam exhibet. 1. *Sam.* III, 30. הרגו לאבנר *Occiderunt Abnerum*, pro את אבנר. Imo ſic cum verbo שלח occurrit conſtructum. 2. *Chron.* XVII, 7. שלח לשריו *miſit principes ſuos*, pro את שריו. Hac ratione Laazazel poſitum eſſet pro *Eth-Azazel* את עזאזל, *ad mittendum eum* Azazelem. Quod ſi quis objiceret, duriſſimum hoc eſſe, cum אותו accuſativi index præcedat, reſpondemus: *Lamed pleonaſtice* hic reperiri, ut alias frequentiſſime. Sic 2. *Chron.* V, 13. בהלל ליהוה *in laudando Jehovam*, pro יהוה. Vid. *Buxt. Sym.* p. 464. 465. Quo caſu *Laazazel*, pro ſimplici *Azazel* ſcriptum erit. Inſtabis, nec eſſe opus vocabulo *Azazel*, jam in pronomine אותו, *eum*, deliteſcente. *Emittes* EVM, ſc. *Azazelem.* Verum tenendum Hebræos nomen energetice poſt relativum repetere, e. gr. *Exod. II, 6. Et aperuit arcam* ותראהו את הילד *Et vidit* EVM, PVERVM. Suffeciſſet: *vidit* EVM. Confer. *Glaſſ.* p. 736. Sublato utut offendiculo, aliter tamen ſolutionem tentabimus. β) Vidimus, ſchedulæ ſortis hirci emiſſarii inſcriptum fuiſſe, LAAZAZEL. Nec in Levitico legimus iſtud vocabuli ſine Lamed. Quid ſi ergo hirco nomen quaſi proprium fuerit impoſitum LAAZAZEL, ut Lamed hac ratione ſuam ſignificationem amiſerit? Nihil abſurdi contendi-

mus.

mus: Lamed nominibus propriis apponitur ab initio, ut *Lemuel*, *Lael*, *Lahda*, *Lahdan*, *Lachmas*, *Leabſchalom*. Ex his duo tantum conſideremus propius, adſtruendæ ſententiæ. LACHMAS nomen urbis *Joſ.* XV, 40. ſine dubio conflatur, ex חמס *Chamas*, *direptio*, & *Lamed* ל, notatque DIREPTIONI. Caſui cuidam, vel infortunio hanc appellationem debuit oppidum, ubi inclamatum: DIREPTIONI *pateat urbs*. Unde manſit nomen loco LACHMAS. Simili ratione, quia ſchedulæ ſortis Hirci emiſſarii inſcribebatur, LAAZAZEL, quod proprie eſt, *Azazeli*: Integra vox hirco addicitur, ſine ſignificationis detrimento. Alterum exemplum LEABSCHALOM tribuitur 1. *Chron.* III, 2. filio Davidis ex Maacha. Atqui ille alias dicitur ABSCHALOM, non *Leabſchalom*. Ergo *Lamed* nominibus abeſſe adeſſeque ſine incommodo poteſt. Pariter hircus tam *Azazel* quam *Laazazel* vocabitur. Jam admiſſa hæc ſententia nihil verbis commatis 10. ſupereſt caliginis: לשלחאו תו לעזאזל i. e. *ad mittendum eum* LAAZAZELEM, *vel* AZAZELEM. γ) Nondum acquieſcimus, quia menti adhuc alia obverſatur ſolutio. Hebræi *verbum ſubſtantivum* non ſemper cum duobus nominativis conſtruunt, ſed loco poſterioris adhibent caſum obliquum cum præpoſitione ל. Exemplo rem illuſtremus. הוא יהיה לראש, *ipſe erit* IN CAPUT *Deut.* XXVIII, 44. i. e. ipſe erit caput. והיית לאב, *Et eris* IN PATREM *Gen.* XVII, 4. i. e. & eris pater. Jam demus in verbis ſacris textus noſtri ſic ſcriptum extare.

re: לשלח אותו להיות לעזאזל *ad mittendum eum, ut ſit* IN HIRCUM ABEUNTEM, ut ſit hircus abiens, *Azazel.* Profecto tanta claritate, tanta luce perfunditur hæc expoſitio, ut procul dubio reliquis omnibus longe anteeat, ſi demonſtraverimus, להיות, *ut ſit* per Ellipſin hic deficere. Atqui non deſunt nobis exempla, quæ huc maxime faciunt. *Gen.* IX, 20. ויחל נח איש האדמה, & *cœpit Noach vir terræ*, i. e. ויחל להיות איש *& cœpit* ESSE *vir terræ.* Suppletur enim alibi hæc Elliptica locutio *Gen.* X, 8. *Nimrod* החל להיות גבור *cœpit* ESSE *fortis.* Id ſaltem diſcriminis intercedit noſtram inter phraſin & jamjam citatam, quod *Lamed* huic deſit. At perinde eſſe, ſive dicatur, *Noah fuit* לאיש IN VIRUM, aut איש *fuit* VIR, quivis apprehendit.

§. XI.

Potiori perfuncti opere, ultimum locum, ubi vocabulum Azazelis offendimus, inſpiciamus, qui nos parum morabitur. *Levit.* XVI, 26. המשלח את השעיר לעזאזל. Quod exponunt: *Emittens Hircum* AZAZELI. Quo facto fieri non potuit, quin commentatores a vero quam longiſſime aberraverint. Tres expoſitionis modos exhibuimus, ſecundum quos ſi explicentur verba, nihil reſtat difficultatis. *α*) Si *Lamed* negligatur: *Educens Hircum* AZAZELEM. *β*) Si *Laazazel* pro nomine proprio habeatur: *Educens Hircum* LAAZAZELEM. *γ*) Si ſubintelligatur להיות *eſſe: Educens Hircum*, UT SIT *Azazel*, *hircus emiſſarius*, ad id deſtinatus, ut cum delictis gentis in deſertum proficiſcatur.

§. XII.

§. XII.

Soluto nodo, quem perplexum reddiderat *Lamed*, alias Dativi indicium, adverſantium objectionibus parum momenti inerit aut ſoliditatis. Audiamus tamen eas. I. BOCHARTUS ὁ πάνυ oppugnat derivationem Azazelis *Hieroz. pag. 651. Alii literarum ordine ſervato vocem Azazel conflatam eſſe dicunt ex* עז *, caper, & abiit. Qua originatio nulla eſt. Nam* עז *non eſt caper, aut hircus, ſed capra. Nec genere conveniunt* עז *&* אזל*, illud fœmininum eſt, hoc maſculinum. Proinde vox non potuit ex utroque conflari.* Multa Bocharto reſponderi poſſunt. *α)* Supra diximus, in Azazel omiſſum eſſe בן *filius*, q. d. בן עז אזל, *filius capra abiens*, quo pacto invalida evadit argumentatio Bochartiana. Nam אזל, refertur ad בן quod maſculino genere gaudet. *β)* Inter caprum & capram nulla eſt niſi generis differentia. Quod ſi igitur עז genere maſculino uſurpatum occurrit, ea voce æque caper ac capra indicabitur: & apte connexum habet אזל Azal in maſculino. Atqui ex *Guſſetio* ſupra monſtravimus, עז utrumque continere ſexum: ergo & caprum denotabit. *γ)* Denique in *nominibus compoſitis*, quale eſt *Azazel* non ita accurate generis formatio retinetur. Sic חפר פרות *Chaphor peroth*, *talpa*, proprie efferenda eſſe חפרה פרות, *Chopherah Chaperoth.* Abjicitur tamen *He* medium. Quod etiam hic fieri potuit.

§. XIII.

II. Idem *doctiſſimus Bochartus* paulo poſt ſic ait: *Nihilo magis arrident, qui Azazelem dici volunt hircum ipſum emiſſarium. Nam --- hæc videntur*

val-

valde implicata: Sortes ponet Aharon ſuper duos hircos ſortem unam DOMINO, *& ſortem alteram* HIRCO EMISSARIO. *Neque illa potuit Cyrillus aliter interpretari, quam ſupponendo hircorum unum vocatum fuiſſe Jehovah, quod nomen eſt incommunicabile.* Quod ſi modo *vir magnus* ad *ſortitionem* attendiſſet, non ſcripſiſſet, eo deveniendum, ut hircorum alteruter neceſſario nomine *Jehovæ* donari debeat. Nomen LAHOVAH non hirco competebat, ſed chartæ inſcriptum erat. *Sortes*, id eſt, SCHEDULAS *ponat Aharon ſuper hircos. Schedula* una notata ſit, LAHOVAH. *Schedula* altera LAAZAZEL. Quid tandem hic eſt perplexi, aut intricati? Nec etiam ſequitur, quia ex ſorte ſua alter hircorum dici poterat *Azazel*, i. e. Hircus emiſſarius, neceſſum eſſe, alterum hircorum nominatum, *Jehovah.* Nam ille ſecundum ſuam ſortem erat *Azazel*, *Hircus abiens.* Hic ſorte ſua (abſit quam longiſſime) nequaquam in Deum evehebatur, ergo nec Dei nomine afficiendus.

§. XIV.

III. *Cl.* DEYLINGIUS ſic ait: *Si Deus per Azazel nihil præter Hircum abeuntem intelligi voluiſſet, procul dubio clariore voce* שעיראזל SCHAHIRAZEL *fuiſſet uſus, quæ intellectu facilior eſt, cum præcipue in antecedentibus duorum* שעירים *mentio fiat.* *α)* Hem Deus clarius loqui potuiſſet! Multa ſunt ſacris in literis tegumentis involuta, aſpera, difficilia, Deone ea propter objiciemus, eum clarius potuiſſe loqui. Ita eſt potuit, ſed noluit. Quid inde? Ergone Deo modum loquendi præſcribemus? Μὴ γένοιτο. *β)*

β) Nec deprehendo hic id difficultatis, quod *Cl. Deylingius* ſibi imaginatur: cum præterea ſibi ipſi non admodum conſtet. שעיר *hircum* notat, ſed & עז *caprum* ſignificat & *capram*, uti ipſe ex *Guſſetio* monuit. Jam vero notionem vocis *Azazel* æque clare compertam habemus ac illius שעיראזל. Qui ergo Deus loqui clarius vel potuiſſet vel debuiſſet? Ergone *Azazel* difficilius eſt intellectu, quam Schahirazel. Minime gentium. Nempe difficultas alibi hæret, non in vocabulo *Azazel*, ſed in phraſi לשלח לעזאזל *Ad mittendum Laazazel.* Hinc demenda erat caligo. Nam dixiſſet Moſes: לשלח לשעיראזל ad mittendum Schahirazelo, illud omnino dubium remanſiſſet, quod interpretes excruciavit.

CAP. V.

IDOLI, QVOD APVD TERTVLLIANVM CHRISTIANIS AFFINGITVR, VERVM NOMEN ESSE, ONONYCHOTVS, DEMONSTRATVR.

ARGVMENTVM.

De nomine *Ononychites*, quo Deus Chriſtianorum inſigniebatur, diverſæ Eruditorum ſententiæ. §. I. Loca, ubi hoc nominis obvenit, ex *Tertulliano* excerpta. §. II. Qui in imagine propoſuit *Ononychitem Judæus* erat, non apoſtata. §. III. Pictura non *Carthagine* ſed *Romæ* expoſita. §. IV. *Ononychites* videtur Servator noſter *Jeſus Chriſtus*. §. V. Origo picturæ contumelioſæ num ex *Diodori* fabula, an aliunde arceſſenda §. VI. *Characteres* proponuntur, quibus vera lectio *Ono-*

Ononychitis, probari queat. §. VII. (1) Franciſci Junii ὀνοχοροιτης. (2.) Alterius cujusdam ὀνοκαρίτης. §. VIII. (3) Cujacii *Onotacuſtes*. (4) Gothofredi *Onochoetes*. §. IX. (5) Rigaltii *Onocoites*. §. X. (6) Is. Voſſii *Onochorites*. §. XI. (7) Croji *Onopochaites*. §. XII. (8) Le Moinii *Onoccies*. §. XIII. (9) Morelli *Onochelus*. §. XIV. (10.) Spanhemii ὀνοχευτής, & (11.) ὀνοχητής. §. XV. (12.) Heraldi *Ononychites* Num *Aſinus* in pictura. Theod. Haſæi aberratio. §. XVI. (13.) Baſnagii *Ononychodes*. Hæ conjecturæ omnes & ſingulæ recenſentur ac refelluntur. §. XVII. Denique docetur, legendum eſſe, ONONYCHOTUS. Gerh. Joan. Voſſii approbatio. §. XVIII.

§. I.

QVANDO primum probroſæ appellatio imaginis, ſub qua Chriſtianorum Numen depingebatur, *Tertullianum* evolventibus obveniebat, ejusque in doctorum annotationibus veram & lectionem & expoſitionem perquireremus, nihil æque mirabamur, quam immenſam diverſarum conjecturarum congeriem, uno alterius ſententiam impugnante, & ſuam non multo meliorem proferente: quo factum, ut magis ac magis lucis radii ab *nomine* abarcerentur, illudque denſis involveretur nebulis. Viſum tandem eſt, veritati eruendæ, laboris aliquid ac meditationis huic rei impendere, usque quo vocabulum veluti e profundo extraheremus: Quod num præſtitum ſit, æquis perpendendum committimus lectoribus: nos quidem eo minus dubitamus, quo magis nos *Vir* quidam *doctiſſimus*, qui alibi diverſum tradiderat, & quem

obiter aliaque de cauſa conſulebamus, confirmavit: ut ſuo loco docebitur. Methodo cuſtodiendæ noſtri exordium ſermonis, cum *Idoli* vocationis exordio unum ſit idemque.

§. II.

TERTULLIANUS, lucidum in orbe Chriſtiano ſidus, in *Apologetici Cap.* XVI. hæc ſcribit: *Nova jam Dei noſtri in iſta civitate proxime editio publicata eſt, ex quo quidam in fruſtrandis beſtiis mercenarius noxius picturam propoſuit cum ejusmodi inſcriptione:* DEUS CHRISTIANORUM ONONYCHITES. *Is erat auribus aſininis, altero pede ungulatus, librum geſtans & togatus. Riſimus & nomen & formam.* Idem PATER *lib.* I. *ad Nationes Cap.* XIV. *Nova jam*, ait, *de Deo noſtro fama ſuggeſſit; adeo nuper quidam perditiſſimus in iſta civitate, etiam ſuæ religionis deſertor, ſolo detrimento cutis Judæus, utique magis poſt beſtiarum morſus, ad quas ſe locando quotidie toto jam corpore decutit; picturam in nos propoſuit ſub iſta præſcriptione:* ONOCHOETES. *Is erat auribus Cantheriorum, & in toga, cum libro, altero pede ungulato; & credidit vulgus Judæo. Quod enim aliud genus ſeminarium eſt infamiæ noſtræ? Itaque in tota civitate* ONOCHOETES *prædicatur.*

§. III.

Antequam *Idoli* terribile excutiamus nomen, materiæ illuſtrandæ pauca quædam explicabimus. (α) Qui figuram propoſuit vulgo *Judæus* putatur, ſed *Apoſtata*, quo noviſſima Tertulliani verba referunt: *Suæ religionis* DESERTOR, *ſolo detrimento cutis Ju-*

Judæus. Et nobis quidem pictor ille ignominioſus *Judæus* eſt, verum nequaquam Apoſtata. Nam primo Tertullianus diſertiſſime eum Judæum appellat: *Credidit vulgus* JUDÆO. Atqui abjuraverat cultum judaicum, quod ajunt. Vel itaque *gentilis* vel ſaltem *apoſtata* nominandus fuiſſet. Chriſtianum Muhammedis religionem amplexum non cenſemus amplius inter Chriſtianos: nec Judæum qui ad caſtra Chriſti tranſiit, nomine Judæi traducimus. Dein clare *Tertullianus: Solo detrimento cutis Judæus.* Ergo Judæus erat, qui in circumciſione glorians, nihil minus agebat, quam quod Judæum decuit. Quos *Paulus* notat *Rom.* II. Nec obſtant verba: *Suæ religionis* DESERTOR. Nam & Servator noſter negat, *Judæos Abrahamo eſſe genitos*, cujus actiones non imitabantur, *Joh.* VIII, 39. Illum igitur, qui, quod ſuæ religioni minime conveniebat, exercebat, jure optimo *deſertorem* vocat Tertullianus, & ſolo cutis detrimento Judæum. Quæ profecto poſtrema verba nullatenus Ethnico applicari poſſunt.

§. IV.

β) Picturam *Carthagine* non *Romæ* propoſitam arbitrantur: eo inducti argumento, quod Tertullianus *Apologeticum Carthagine* conſignavit. *Baronius* quidem eum *Romæ* exaratum ſancit, quem plures ſequuntur: cum certiſſimum perlegenti tractatum fiat, in *Africa*, non Romæ eum fuiſſe elaboratum. Nam Tertullianus ubique ad *magiſtratum Africanum* reſpicit, non Romanum: mentionem facit *Præſidum* & *Proconſulum*, non Senatus, non Imperatoris. At quicquid ſit, non ſequitur, in

 Africa

Africa conſcripſit Tertullianus Apologeticum, ergo CARTHAGINE turpiſſima figura eſt propoſita: ad quod mirandum eſt neminem attendiſſe eruditorum. 1) Tertullianus non notat, *ſe vidiſſe imaginem.* Atqui ſi Carthagine illam luci expoſuit Judæus, qui factum ut eam non contemplaretur? Et ſi contemplatus eſt, cur id ne verbulo quidem innuit. 2) Imo contrarium diſerte teſtatur: *Nova de Deo noſtro* FAMA *ſuggeſſit.* . Hem *fama* ſuggeſſit, quod oculis luſtravit ſuis! Ergo aliunde audivit, quod *fama* ſuggeſſit. Joannes de Chriſto ſermocinaturus infit: *Quod vidimus & audivimus, narramus vobis.* Abſurdiſſime ſcripſiſſet: Quod *fama* accepimus. 3) Quod ſi Carthagine Apologiam edidit Tertullianus, & ſi ibidem picturam monſtravit Hebræus impius, ſcripſiſſetne pater doctiſſimus: *Nova Dei noſtra* IN ISTA CIVITATE *proxime editio publicata eſt.* Vel: *Nuper quidam perditiſſimus* IN ISTA CIVITATE. In *iſta civitate* locum tertium deſignant, cui aberat Tertullianus. Si adfuiſſet, dixiſſet: *in noſtra civitate.* Quibus rationibus perſuaſi, credimus, Judæum perditum ROMÆ Idolum pudendum appendiſſe, quæ non ſolum *urbis*, ſed & CIVITATIS nomine κατ' ἐξοχὴν frequentiſſime venit. *Liv. lib. 1. ut fides & jusjurandum, proximo legum ac pœnarum metu* CIVITATEM *regerent.*

§. V.

γ) Quem pictura ſua effictum voluit impoſtor, aliquid & quæſtionis habet. DEUM ipſum a blaſphemo Judæo efformatum & repræſentatum, Tertulliani verbis concludere primo intuitu poſſemus:

DEI

DEI NOSTRI *in iſta civitate editio eſt publicata.* Cui accedit Judæum fuiſſe ſolo nomine talem, & improbiſſimum, cui nec *Deus* t. o. m. nec religio curæ fuit aut cordi. At enimvero ſi cogitamus, Judæis a primis annis inſtillari erga *ſupremum Numen* externam reverentiam, ſi præterea perpendimus, cavillatorem iſtum non DEVM ſimpliciter, ſed CHRISTIANORVM DEVM voluiſſe traducere, in eam deſcendimus opinionem, odioſam & ridiculam imaginem CHRISTVM *Servatorem noſtrum* repræſentaſſe. Hinc inſcriptio: DEVS CHRISTIANORVM ONONYCHITES. Atqui a Chriſto Chriſtiani nomen ſunt adepti. Nec quenquam latet, quo odio *Jeſum* impura Hebræorum gens proſequatur, quibus cavillis proſcindat, & calumniis oneret. CROIVS nobiſcum ſentit: *Dicimus* DEVM CHRISTIANORVM *eſſe ipſum Dominum noſtrum* JESVM CHRISTVM, *quem licet crucifixum, Chriſtiani adorabant, ejusque gloriabantur nomine, quamvis illum inſigni notare dedecore, & infamia ejus mortem opprimere tentarent Ethnici.*

§. VI,

δ) *Cauſa* nunc picturæ eſſet aperienda: quæ tamen, ut verum fateamur, omnino in obſcuro degit. Plurimi *cultum aſininum* Chriſtianis æque ac Judæis objectum occaſionem præbuiſſe nebuloni, formam ejusmodi pingendi judicant. Cultum aſini Judæis æque ac Chriſtianis exprobraſſe gentiles, dubio caret, & jampridem a viris doctis KORTHOLTO in *pagano obtrectatore*, & GRAPIO, in *diſſertatione de Ono- & Choro-latria*, ac nuper admodum a

perquam erudito viro THEODORO HASÆO *in ſingulari libello* adeo luculenter oſtenſum eſt, ut noſtra plane hic non requiratur opera. Apud *Diodorum Siculum* invenimus aliquid, quod apprime huc facit. Nempe *lib.* XXXIV. quem excerpſit *Photius*, *Cod.* 244. *Antiochus dictus Epiphanes, devictis Judæis intravit Sancta Sanctorum, adiit ſolis ſacerdotibus adeunda, & invenit ibidem lapideam ſtatuam* VIRI, BARBA PROMISSA, TENENTIS MANIBVS LIBRVM, INSIDENTISQVE ASINO, *quam putabat Moſis eſſe, qui urbem & condiderit, & gentem fundarit, & odioſas illas omnibus gentibus leges tulerit.* Hanc ſi relationem cum Tertulliano componimus, in multis ipſi conſonare deprehendemus. *Virum* utrobique, & *librum*, & *aſini* quiddam habemus, ut, ſi pervulgata fuit hæc hiſtoria, vix dubitari queat, quin Hebræus ad illam alluſerit. Porro ſi in animo habuit ὀνολατρείας culpam hac ratione a ſua removere gente, & ad Chriſtianos devolvere, haud parum ſententiæ probabilitatis accedit. E regione tamen alia mentem noſtram cogitata ſubeunt. 1) Non videri fabulam *Diodoro* narratam vulgo fuiſſe notam, quoniam mire Autores diſcrepant, in criminis cultus aſinini modo commemoratione. Alius enim caput aſini aureum, alter aſinum integrum, tertius hominem aſino inſidentem fingit. 2) Non minimum differentiæ utramqne inter Iconem offendimus. Jlla Diodori barba gaudebat, & inequitabat aſino. At Tertullianea barba deſtituitur & cantherio, ſed ipſa auribus exornata eſt aſininis, & ungulata inſuper. 3) Diodori Idolum in templo re-

repertum Moſen adumbrabat. Jam, quod ſi nebulo ad iſtiusmodi imaginem alluſiſſet, non utique *Deum Chriſtianorum*, ſed Moſen traduxiſſet. Fabula videlicet Diodori, ſi in vulgus emanaſſet, non ignorari potuiſſet, Moſis, Judæorum primi & ſummi Doctoris ibidem agi mentionem. Croio aliud placuit: *Audiverat autem ſine dubio de Chriſtianis perditiſſimus iſte nebulo, Chriſtum* PULLO ASINÆ *inſidentem, ut Zacharias erat vaticinatus cap.* IX. *& narrant Evangeliſtæ, ingreſſum eſſe Hieroſolyma, eumque aperuiſſe librum, quem dextera tenebat is, qui ſedebat in ſolio, ac ſolviſſe ſigna, quibus liber ille erat obſignatus, ut dicitur Apoc.* V. *Ad iſta igitur ſpectans, ejusmodi picturam, & inſcriptionem propoſuit, ut Chriſtianorum Deum & fidem irrideret.* Croji ſententia hæc non diſplicet. Figuram ignominioſam bipedum nequiſſimus e Scriptura novi Teſtamenti deſumebat, ut autoritatis aliquid vel veritatis adſciſceret calumniæ. Ut tamen præciſe dicamus, quæ in mente habuerit loca Hebræus, fatemur nos neſcire. Quod ſi aures ad aſinum referamus, quorſum ungula pertinebit, quorſum toga? Hæc igitur hactenus in obſcuris maneant.

§. VII.

Hiſce prælibatis leviori deinceps pede progrediemur. Etiamſi multi impacti Chriſtianis criminis ὀνολατρείας meminerint, nemo tamen *probroſæ imaginis*, quæ nobis diſſerendi materiem ſuppeditavit, injicit mentionem, præter unum *Tertullianum*, cujus loca ſupra exſcripſimus. Cum vero nomen picturæ inditum diverſum ibi reperiatur, nam quod in *Apologetico* ſo-

 nat,

nat, ONONYCHITES, in *libro ad Nationes* eſt ONOCHOETES, cum præterea doctiſſimis viris ſit obſervatum in *MSS.* multo majorem ubique offendi diſcrepantiam, luciſſime apparet, nomen illud quandam invaſiſſe corruptionem, quam & agnovere viri docti, & variis modis auferre tentarunt. Nobis in iſtis tenebris optimum videtur factu, ducem aliquem ſequi, & normam, quam ipſe *Tertullianus* nobis ſufficit, adhibere, cujus beneficio & diſſentientium opiniones examinare, & noſtram ſtabilire poſſimus. Picturæ nomen impoſuit nebulo, quo ſcilicet, quod illa continebat, exprimeretur. In pictura comparebat *aliquid aſinini*, *aures* comparebant, & *ungula*. Aderat præterea *liber* & *toga*. Igitur illa *nuncupatio* eo propius vero accedet, quæ plurimum, quod in figura depictum erat, enuntiat, nec a *vulgata lectione* ONONYCHITES multum recedit. Porro ridendi gratia & nomen & icon exponebatur. *Riſimus & nomen & formam.* Atqui toga & liber ad cachinnum non provocant. Verum aſinus, & ex auribus aſininis, & humano corpore, & ungula monſtrum compoſitum riſui excitando perquam erat aptum. Itaque in nomine non tam ad volumen & veſtimentum, quam potius ad aures aſininas, ungulamque reſpiciendum videtur. Hoc duce, age, viam ngrediamur.

§. VIII.

Propoſitum ut methodice exequamur, bifariam eruditorum ſententias diſpertiemur. Primo illas quæ parum probabilitatis, deinde quæ multum de vero participant recenſebimus. (I) FRANCISCVS JV-

NIVS

NIVS legit ὀνοκορσίτης, quod *Voſſius* refert *de Idolol.* p. 417. ὈΝΟΚΟΡΣΙΤΗΣ *propter Vaticanorum Codicum autoritatem, in quibus ita perſcriptum, comprobat ſocer meus Franciſcus Junius: ut ſit ἀπὸ τῆς τȣ̃ ὄνȣ κόρσης, ab Aſinino capite.* Momentum lectioni adjicit gentilium calumnia, quam *Minutius Felix* habet: *Audio Chriſtianos turpiſſimæ pecudis* CAPVT ASINI *conſecratum inepta neſcio qua perſuaſione venerari.* Etiam CELSVS *Dæmonem* quendam Chriſtianis cultum ajebat gaudere ὄνȣ προσώπῳ ASININO VVLTV. Veruntamen diſplicet lectio. *α*) Nimium a vulgato *Ononychite* abludit. *β*) Cum pictura non convenit. In ea non caput aſininum, ſed *auritus* conſpiciebatur *homo.* *γ*) Vox Κόρση rari eſt uſus & Attica. Potius itaque Hebræus dixiſſet ὀνοκέφαλος, *a* κεφαλὴ, *caput*, cujus frequentia obveniunt compoſita, ut Αἰγοκέφαλος, *caprinum caput habens*, Κυνοκέφαλος, *caniceps*, λεοντοκέφαλος, *leonino capite præditus*, ϛρȣθοκέφαλος, *habens caput paſſeris* &c. *δ*) A κόρση in compoſitione non formatur κορσίτης, ſed vel κόρσος, vel κόῤῥος, vel κόρσης, ut Δίκορσος *biceps*, ψιλοκόρσης, *qui glabro eſt capite.* Sic fuiſſet ὀνοκόρσης, vel ὀνόκορσος, nequaquam ὀνοκορσίτης. (II.) Ejusdem eſt commatis, iisdemque premitur incommodis, quod VIR quidam *doctus* ſubſtituit ὈΝΟΚΑΡΙΤΗΣ, ex κάρα caput. Nam quoque a κάρα non fit καρίτης, ſed vel κάρηνος, ut τρικάρηνος, *triceps*, vel καρος & καρης, ut ἀκαρής *ſine capite* &c.

§. IX.

(III.) Cviacivs, quod *Gothofredus* monuit, arguit veram appellationem eſſe, ὈΝΟΤΑΚΟΥΣΤΗΣ. Quæ componitur ex ὄνος, *aſinus*, ὖς ὠτὸς, *auris*, & ἀκουστὴς, *auditor.* Et quidem ἀκουστὴς boni valoris eſt vocabulum, etiam ὠτακουστης occurrit pro *delatore.* Verum, α) Quid ſibi velit ὀνωτακούστης non intelligo, *aſini delator*, *aſinus delator*, *aſini auribus audiens* &c. nihil ſignificant. β) Cum pictura non conſonat. Nihil in ea apparet, quorſum illud ἀκουστὴς referatur. γ) Sono haud minimum ab *Ononychites* differt. (IV.) Gothofredvs ipſe mavult ὈΝΟΧΟΉΤΗΣ. Scilicet vir ille doctiſſimus in *notis ad Tertull.* mira„tur, editos Codices omnes vocem *Ononychites* præ„ferre, quæ nullibi in *MSS.* compareat, & quæ ſit „ſuppoſita blandiente, ut exiſtimat, monſtri hujus „deſcriptione, nempe quaſi aſinine auritum, & pe„de ungulatum hæc vox deſignaverit. Ipſe igitur „legitimum omnino eſſe putat: Onochoetes. „Nempe voce hac *aſinum initiatorem*, *ſacerdotem*, „*ſacrorum magiſtrum legumque ſacrarum latorem* „voluiſſe deſignare Apellam bipedum ſceleſtiſſi„mum, atque adeo monſtrum, ſeu *nomen bifor„me*, *homine* ſcilicet & *aſino* compactum. Ut χοαὶ „*ſacra*, *ſacrificia*, ita novo nomine impoſtori χοη„τὴς *ſacerdos*, *pater ſacrorum.* Et exiſtimat porro „*Gothofredus*, nomini picturam convenire, & re„fert eo figuram tenentis librum, in toga, nam „hic habitus Magiſtri ſacrorum, togaque ut & li„ber, ad τελετὰς pertinuit.„ Multa contra hanc opinionem excipimus. α) Vox χοαὶ non *ſacrificia*

quæ-

quæcunque, ſed tantum *libamina* innuit, derivatur enim a χέω *fundo:* fallitur ergo hic Gothofredus. β) Χοητὴς nullibi legitur, concedente ipſo Gothofredo, qui *novum nomen* appellitat. Intelligit vero Vir doctiſſimus *ſacrorum magiſtrum legumque latorem.* Atqui ſi a χοαῖ, *libaminibus*, χοητὴς deduceretur, illud nulla ſana ratione *ſacrarum latorem legum*, ſed *libatorem, libamina effundentem* deſignaret. Poro larga concedamus manu, χοὰς quoque notare *ſacrificia:* ergo χοητὴς erit *ſacrificans*, victimas mactans & offerens, quales Sacerdotes Levitici. Atqui talem non vult *Gothofredus*, ſed *ſacrorum Autorem*, qualis Moſes. Fruſtra vero hic adhibetur χοητής. γ) Turpiſſimus Apella plebi picturam proponens, intelligi voluit. Nemo vero intellexiſſet vocem *Onochoetes*: quia vocabulum erat novum, & antea inauditum. Nec ipſi caperemus, niſi ſuam adjeciſſet Gothofredus explicationem. Nec Plebi ænigmata ſunt proferenda, nec ingenium Apellæ videtur fuiſſe novis inveniendis vocabulis idoneum, quem *mercenarium & beſtias elocantem* nominat Tertullianus. δ) Cur *Sacerdotis* imagine illuſit Chriſtianis Hebræus ille? Chriſtianis tamen deeſſe Sacerdotes illo ævo omnium notitiam pervaſerat. Hinc *Cæcilius* apud *Minutium: Cur* NVLLAS ARAS *habent Chriſtiani, nulla nota ſimulacra, templa nulla?* ε) Porro, quod monuit *Theod. Haſæus* p. 16. illa imagine non *ſacerdotem* Dei Chriſtianorum, ſed IPSVM DEVM adumbrare voluit nequam, quod clare docet inſcriptio addita: DEVS CHRISTIANORVM. ζ) Denique picturam parum illuſtra-

bat

bat nomen *Onochoetes*. Quoniam nec aſinus videbatur, nec ſacerdos, verum aſininis præditum monſtrum auribus, & ungula.

§. X.

(V.) Rigaltius in *textu Tertullianeo* retinet Gothofredi *Onochoetes*; ſed arbitratur, „Judæum „nebulonem, græcæ compoſitionis vocabulum per„peram extuliſſe, cum intelligi vellet *Onocoiten*, „ὀΝΟΚΟΙ'ΤΗΝ, adeoque de *Aſininæ originis pro„ſapia*, ſceleſtiſſimæ impoſturæ mendacio, Chri„ſtianorum patientiæ, tolerantiæque illuſiſſe, tan„quam de cantherina quadam admiſſura prognata„rum.„ Mira omnino opinio, quæ paucorum aſſenſum impetrabit. *α*) Si Judæus imagini monſtroſæ adſcripſit: *Onochoetes*: Et tamen voluit *Onocoiten*, nemo mortalium mentem impoſtoris percepit. Nam & *Onochoetes* vox eſt ignorata, & ſi fuiſſet nota, non tamen, quod Judæus voluiſſet, indicaſſet. Alii tamen procul dubio aderant Judæo adjutores, qui de errore facillime ipſum & monere potuiſſent, & debuiſſent. Nec latuit *Tertullianum* ſenſus nominis: *Riſimus & nomen & formam*. Quomodo riſit, quod non intellexit. Hoc enim fieri non potuit, quin Judæus nomen intellectu clarum & picturæ conſonum addiderit. *β*) *Rigaltius* pronuntiat, Judæum *aſininam nativitam* exprobraſſe imagine Chriſtianis. Quod tamen & a figura diſſentit & a nomine. ὀνοκοίτης, ſi quidem aliquid valet eum notabit, qui *aſina concumbit*. Atqui nihil hujuſcemodi in figura. Sed homo quidam auritus. Quid vero auritus homo, ad *aſininam progeniem*? Aſina foemina debuit adeſſe,

eſſe, & vir coiens, ſi quidem eo reſpicitur, quod contendit Rigaltius. Hic alia omnia. Ungula, aures, toga, liber. γ) Nimis recedit *Onocoites*, a vulgari *Ononychites*. δ) Non reprehendit apella originem Chriſtianorum, verum DEO eorum enormi ſua figura inſultat.

§. XI.

(VI.) Is. VOSSIUS *exſculpſit* ὈΝΟΧΟΙΡΊΤΗΣ, in *notis* ad *Pomponium Melam* p. 62. *Non hic ſubſiſtit*, inquit, *Græculorum impudentia, in ipſos etiam Chriſtianos derivata eſt hæc calumnia, quorum Deum, non tantum Sileni, uti Moſen, ſed* SATYRI *inſtar finxerunt, uti videre eſt apud Tertullianum, cum hac inſcriptione*: DEUS CHRISTIANORUM ONOCHOIRITES. *Ita enim legendus locus ille, qui omnes hactenus exercuit eruditos.* ὀνοχοιρίτης *enim fingebatur tanquam ex* ASINO *&* PORCO *compoſitum monſtrum. Epiphanius de Gnoſticis:* Φασὶ δὲ τὸν Σαβαὼθ οἱ μὲν ὄνου μορφὴν ἔχειν, οἱ δὲ χοίρου. Vir doctiſſimus ſæpe hic a veritate deſeritur, & multis erroribus ſermonem infecit ſuum. α) Sibi ipſi non conſtat. Nam notat, *Deum Chriſtianorum* inſtar *Satyri* fictum, quod ex Tertulliano adſtruit, eujus *Ononychiten* transfert in *Onochoiriten*, i. e. Idolum aſino conſtans & porco. Hem! monſtrum ex *aſino* conflatum & *ſue* SATYRUM referebat. Hircinis pedibus incedebat Satyrus, non porcinis, nec aſininis. Atqui figuræ Judaicæ hircini nihil inerat. Ergo nec in ea depictus erat Chriſtianorum Deus, Satyri inſtar, ut ut liberali manu demus, ſcribendum ὀνοχοιρίτης. β) Fruſtra edicit

Voſſius

Voſſius, legendum eſſe ὀνοχοιρίτης, quod *monſtrum* deſignat ex *porco* & *aſino* compactum. Nam Tertulliani in pictura nihil *porco* ſimile reperiebatur. Nec igitur nomen illi quadrat ὀνοχοιρίτης, cujus dimidium *ſue* conſtat. γ) Perperam in auxilium advocat Gnoſticorum *Sabaoth*, verbis *Epiphanii* ſi ſtamus. Ait ſcilicet hic Pater, nonnullos dicere, SABAOTH *habere formam* ASINI, ALIOS *eundem habere* PORCI *ſimilitudinem.* • Ergo ſi *aſinum* æquabat, non *porcum*, ſi porcum, non aſinum præſentabat. Non ergo biforme erat monſtrum, ex ſue aſinoque conflatum, quod vult Voſſius. δ) Denique quid *Sabaoth* Gnoſticorum ad monſtrum publice a Judæo expoſitum. Hoc nec aſino appropinquabat, nec porco, ſed homini, auribus prædito aſininis & ungula: ille Sabaoth vel aſinum referebat vel porcum: quæ immane quantum diſtant.

§. XII.

(VII.) CROIUS, vir valde doctus, in fine *ſpeciminis conjecturarum in Origenem, Irenæum, Epiphanium* &c. ſic docet: *Adferemus emendationem loci Tertulliani, qui plures magni nominis viros exercuit, & tamen nihilominus craſſiſſimo laborat mendo. Is habetur Apolog. cap.* XVI. DEUS CHRISTIANORUM ONONYCHITES. - - - Putamus reſcribendum eſſe, ΟΝΟΠΟΧΑΊΤΗΣ. *Et ſic inſcriptio optime quadrabit ad picturam: aures enim habebat aſininas, ut refert Tertullianus, & alterum pedem ungulatum.* Antequam, quid ſentiamus de hac *Croji* obſervatione, proferamus, nolumus prætermittere dubium, quod *Sam. Baſnagius* in *Annalibus* nobis in-

injecit, ubi ſcripſit, *Crojum* legere, ὀνοςυχοίτης. Non licuit antiquam *Speciminis Crojanæ* editionem evolvere: ut Autore ipſo litem decideremus. Attamen quia lectio Baſnagiana vox eſt nihili, & cum *Croji* mente nihil commune habet, exiſtimamus ſphalma typographicum iu Annales irrepſiſſe. Jam quod ad ὀνοποχοίτης attinet, conſarcinatur ex ὄνος, *aſinus*, ποῦς *pes*, & χαίτη *ſeta*: quæ compoſitio rejiculam eſſe vocem abunde teſtatur. α) *Onopochaites* non minimum a communiori *Ononychites* diſcedit. β) De *Seta* apud Tertullianum ne γρυ quidem occurrit. γ) *Onopochaites*, ſi verbis inſiſtimus, proprie notat, *aſini pedem ſetaceum*, vel ſimile quid: cum tamen pictura Judæi nec aſinum, nec *pedem* oculis ſubjiciebat *ſetis* obſitum. Atqui nomen potiſſimum ex pictura æſtimandum.

§. XIII.

(VIII.) *Doctiſſimus* LE MOINIUS obiter de hoc nomine agens in *variis Sacris* mavult, ὈΝΟΚΟΙΉΣ. Audiamus ipſum *pag.* 290. *Heſychius in Gloſſ.* Κοίης ἱερεὺς Καβείρων, ὁ καθαίρων φονέα. Οἱ δὲ Κόης. COIES *Sacerdos Cabirorum, qui purgat & luſtrat homicidam. Alii vero dicunt* COES. *Quæ vox debetur orienti, & ab Hebraica origine procul omni dubio eſt arceſſenda.* כהן *Cohen vero apud Hebræos notat ſacerdotem. — Ab eadem voce forſan & fluxit vox quæ occurrit apud Tertullianum in inſcriptione iſta contumelioſa, qua fama Domini noſtri Jeſu Chriſti tam indigne & blaſpheme proſcinditur. Ubi legendum forſam* ὈΝΟΚΟΙΉΣ. *Id eſt* SACERDOS ASINI. Mirum eſt viros illos doctiſſimos, qui in

in inſcriptionem monſtri inquiſivere, adeo cogitationes & vultus avertiſſe ab ipſa pictura, & ſuis tantum indulſiſſe conjecturis. *α)* Quid quæſo *Sacerdoti aſinario* eſt cum biformi Numine a Judæo efformato. Non aderat, inquam, Sacerdos aſini, quod nihil eſt, ſed *Chriſtianorum Deus.* Atqui Deus ille ſacerdotio non fungebatur. *β)* In nomine ὀνοκοίης nihil hæret, quod in pictura contemplabatur vulgus. Non *aures*, non *ungula*, nec liber, nec toga. Atqui inde inſcriptionis vocabulum eſt compactum. *γ)* Κοίης vox eſt *peregrina*, qua in vulgari loquela abſtinebant, ut vix credamus, illam Judæum in picturæ ſuæ titulo adhibuiſſe. *δ)* Ὀνοκοίης eſt *biglottum* vocabulum, qualia niſi ſumma neceſſitate, non ſunt admittenda. *ε)* Denique Ὀνοκοίης multum deflectit ab *Ononychites.*

§: XIV.

(IX.) MORELLVS, cujus extat *Tertulliani* editio, cum aliis quamplurimis amat ʼΟΝΟ'ΧΗΛΟΣ. Χήλη *ungulam* indicat. Eſſet itaque in hac voce aliquid, quod in figura comparebat. Attamen *α) Onochelus* mirum quantum diſſonat ab *Ononychite. β)* Ονόχηλος ſignificat *ungulam* ſeu *pedem aſininum habentem.* Ungula quidem gaudebat difformis figura. Num ungula Aſini, in Tertulliano nequicquam quærimus. Imo oppoſitum elicimus, Si enim *ungula* æque ac aures ex aſino fuiſſent deſumta, non ſcripſiſſet Pater: *Erat auribus Cantheriorum & in toga, cum libro, altero pede ungulatus.* Sed: *Habebat aures & ungulam aſininam.* *γ)* De au-

auribus in voce *Onochelus* latet nihil. δ) Abludit quoque nimium ab *Ononychites*.

§. XV.

(X.) *Eruditiſſimo* SPANHEMIO geminum arridet etymon.. Primo recenſitis obiter variorum lectionibus exclamat: *Quidni* 'ΟΝΟΧΕΥΤῊΣ, *aſinus admiſſarius*? Nos viciſſim quærimus: *Quid hic* ὀνοχευτής? Depinxeratne Judæus *admiſſarium*, cantherium libidinis ſtimulo actum? Minime gentium. Hominem finxerat, vel monſtrum potius auritum, ungulatum, togatum. Aſinone toga induitur? Aſinone ungula deerat, ut ſcribi fuiſſet opus, *altero pede ungulatus*: Ergo nec de Aſino cogitandum, nec de admiſſario, conſequenter reſpuenda vox, ὀνοχευτής. (XI.) Pergit *Spanhemius*; Vel potius 'ΟΝΟΧΗΤῊΣ, *aſino ſublimis vectus? Ut Deus Judæorum (aliis putatum ſimulacrum Moſis) in ſacro adyto repertus ſcilicet, ab Antiocho Epiphane, aſino inſidens, & tenens manibus librum.* α) Utrum mercenarius pictor fabulam illam in oculis habuerit, ſupra §. VI. diſputavimus: oſtendimusque, multam ſane inter illam & noſtram picturam reperiri diſcrepantiam. Spanhemius vero nomen ſuum deſumit a *commento Diodori*, non ab *imagine* impoſtoris Judæi, quo ipſo ab errore ſibi non cavet. Nam hic aſino nemo inſidebat, quia aſinus nullus præſens erat. Quorſum igitur ὀνοχητής? *Aſino ſublimis vectus*? Homo videbatur, qui auribus pollebat aſininis, hiccine *aſini ſeſſor* dicendus?

dus? Quod ſi inſediſſet, cur *ſublimis* annectitur. Itane, qui aſino vehitur, in ſublimem transfertur aerem? *B*) Ὀχέω proprie de *vehiculis* uſurpatur, non de *jumentis*. Ὀχητὴς plane nullibi invenitur.

§. XVI.

Claſſem eorum, qui longum a veroſimilitudine recedunt, permeavimus. Adnavigemus eis, qui in portus introitu hærent, quorum oppido paucos offendimus. (XII.) Primus eſt HERALDVS cum aſſeclis, qui vulgarem lectionem ONONYCHITES in tutelam ſuſcipiunt. Suffragium huc ſuum confert cl. THEOD. HASÆVS. „Ego nequeo hariolari, cur ita ſe torſerint viri eruditi, tantoque „cum conatu ab illa *lectione* diſceſſerint, quæ in „libris editis vulgo legitur, quamque *Deſiderius* „*Heraldus* in *Not. ad Apol. Tertull.* reliquis prætulit omnibus, ὈΝΟΝΥΧΙ'ΤΗΣ; Ὄνυξ enim „ſignificat *ungulam*, hinc ὀνυχίτης *ungulatus*, ex „quibus, quid ſit ὀνονυχίτης, facile colligas; ſc. *aſinungulus* ſive ASINVS VNGVLATVS. Quamobrem cum illa *lectio* ſit per quam intellectu facilis, „atque apprime cum pictura conveniat, quam „*Carthaginenſis pater* exhibet, qui in utroque loco „obſervat, ASINVM *pictum fuiſſe, eumque altero* „*pede ungulato*, quid cauſæ eſt, cur *vulgatam le*-„*ctionem* tanto deſeramus opere.„ Equidem haud diffitemur, pervulgatam lectionem, *Ononychites*, non temere videri rejiciendam, cum & in antiquiſſi-

quiſſimis animadvertatur editionibus, & ad primigenium impreſſa videatur exemplar, & aliquam tabulæ depictæ partem exhibeat. Nimirum informi figuræ *aſininum* annexum erat membrum, & planta altera geſtabat *ungulam*. Utriusque indicium præbet *Ononychites*. Veruntamen cur a nobis relinquatur vulgata hæc lectio, rationibus non deſtituimur. Nam *α)* ſi *Ononychites* veram præſtat lectionem, res quavis admiratione digna eſt, ſcriptionis diverſitas, ut modo ſit vel *Onocholtes*, modo *Oenocholtes*, vel *Onochoitis*, *Onochotaſis*, & hujusmodi plura. Quæ apertum corruptionis præbent indicium. *β)* Partes picturæ principes non exhibet *Ononychites*, ungulam quidem aſininam hic videmus, ſed nullas *aures*. Auritum ut monſtrum, ita nomen eſſe debet. Nihil enim cauſæ eſt, cur ungulam potius quam aures enuntiaſſet impoſtor. *γ)* Ab ὄνυξ quidem ὀνυχίτης deſcendit, verum quod nihil minus, quam *ungulatum*, deſignat. ONYCHITES lapidi vocabulum pretioſo attribuitur. Compoſita vero ab ὄνυξ fere omnia in ονυξ, quædam in νυχος deſinunt. Sic αἰγόνυξ, *ungulas habens caprinas*, ἀκρώνυχος, *quod extremi eſt veſtigii*. Hac ratione non *Ononychites*, ſed ὀνόνυξ vel ὈΝΌΝΥΧΟΣ diceremus. *δ)* Cl. Haſæus *Ononychiten* perperam omnino vertit per *aſinum ungulatum*. Nam uti αἰγόνυξ non indicat *ungulatam capram*, ſed *animans aliud, ungulas caprinas poſſidens*. Sic *Ononychites* denotaſſet *monſtrum ungula aſinina præditum*. Quod Tertullianus diſerte affirmat: *Altero pede ungulatus*. Ergo non *aſinus un-*

gulatus. Quæ phraſis, quod pace aliter ſentientium dictum eſto, abſurditate quadam afficitur. Cum nullus reperiatur aſinus non ungulatus. Sic abſurde pronunciamus: *Aſinum auritum*, vel *arietem cornutum*, vel domum tecto ornatam &c. quia nec aſinus ſine auribus, nec ſine cornibus aries a natura editur, ſi monſtra excipias, nec domus ſine tecto inter domos locum habet. ε) Nec etiam error *Cl. Haſæi* excuſari poteſt, ſtatuentis, a Tertulliano obſervari, *aſinum in tabula eſſe depictum.* Hem *aſinus* in tabula depictus, idque Tertulliano eſt obſervatum! Ubinam quæſumus, quibusve in verbis? De aſino ne apicem quidem literulæ habet: ne minimam quidem ſuſpicionem injicit. *Is Ononychites*, inquit Pater, *erat auribus aſininis.* Ergone *aſinus auribus aſininis*? Ubinam igitur aſini ſine auribus aſininis? Qui aſinum dicit, illine opus eſt ſcribere, adfuiſſe aſino aures aſininas? Abſit hujusmodi ſermo. Sed *Ononychitem* TOGA amiciverat improbus Hebræus. Hui *Aſinum togatum!* Quærimus, num, & qui id fieri queat? Porro *librum* geſtabat *Ononychites*. Librum manibus geſtamus. Itane aſinus librum *manibus* portabat: vel ſi placet, ungula? *Pſallentem* in lyra citius aſinum reperiremus, quam volumen ungula ferentem. Si vero aſinus manibus præditis humanis fuiſſet; id innuiſſet Tertullianus, quia nihil monſtroſius *aſino humanis manibus.* Addit Pater, *altero pede Ononychitem fuiſſe ungulatum.* Si aſinus, quid ungulatus? Num ſunt nonnulli *ſine ungulis aſini*? Apage aſinum ex Pictura impoſtoris. Univerſam ille ſcenam turbat. *Homi-*

minem repræſentabat *Ononychites*, quia togatus, & volumen gerebat, ſed monſtroſum hominem, *auritum*, ſcilicet, & altero *ungulatum* veſtigio.

§. XVII.

(XIII.) Samvel Basnagivs nunc prodeat, qui in *Annalibus Tom.* II. p. 226. ſic ſancit: *De voce explicanda multi variant. Scribi malumus*, Ononychodes. *Ὄνος enim aſinus eſt.* *Ὀνυχώδης ungulatus.* Veritati tam prope eſt, quam proxime antecedens lectio, *Ononychites*, nec eſt in compoſitione, aut ſignificatione ulla diſcrepantia, niſi tantum in formatione. In illa ab ὄνυξ flectitur, ὀνυχώδης, in hac ὀνυχίτης. Sed iisdem etiam fruitur cum hac incommodis. Scilicet α) Picturæ partem potiorem non exprimit. β) Ab ὄνυξ non derivatur ὀνυχώδης, quod nullibi obvenit. γ) Videtur *Baſnagius* vocem etiam interpretari, per *aſinum ungulatum*, quo caſu in errorem delabitur, ut modo oſtendimus.

§. XVIII.

Emenſi pene ſumus viam, & *tredecim* eruditorum virorum conjecturas a ſcopo abludentes perluſtravimus. Noſtram nunc proferamus ſententiam, & exploremus, albone propius, quam cæteræ abſit. Subſtituimus pro *Ononychite* ὈΝΟΝΥΧΩΤΟΣ, vocabulum conflatum ex ὄνος, *aſinus*, ὄνυξ, *ungula*, οὖς ὠτός, *auris.* α) In ignominioſa tabula conſpiciebatur monſtrum auribus aſininis, & ungulato pede. *Aſini* ergo pars inerat, ſc. *aures*, inerat etiam *ungula.* Cuncta ſimul complectitur vox *Ononychotus.* β) Cum vulgari lectione *Ononychites* quam maxime convenit *Ononychotus.* γ) In formatione nihil deprehenditur

 ano-

anomali. Nam οὖς *auris* in compoſitis in ωτος degenerat. Sic ἀμφωτος, *utrinque auritus*. Δίωτος *duas habens aures*, πολύωτος *multas habens aures*. Lectoribus num placeat vocabulum, tempus docebit. Noſtrum eſſe inventum quid negemus? Neminem tamen ſuo honore fraudare ſolemus. Quapropter ſilentio obvolvere nolumus, quod, dum obiter, *diſſertatione* noſtra jam confecta, & alia plane de cauſa *Etymologicum Voſſii* τοῦ πάνυ conſuleremus, in eo ſententiam noſtræ perquam ſimilem offenderimus. Nihil quidem minus expectabamus, præſertim quia idem ille vere *eruditus* VOSSIVS in *libr. de idololatria* tantum *Junii* opinionem recenſuerat: attamen magnopere lætabamur, quod *viro ſummo* noſtra inciderat cogitatio: id enim haud parum momenti attulerat nobis in ſententia noſtra confirmandis, & aliis perſuadendis. Sic vero habet *Etymol.* p. 411. in *voc. Onos. Ab* ὄνος *&* χηλὴ *hoc eſt ungula*, ὀνόχηλος. *Uti ab* ὄνος *&* ὄνυξ ὄνυχος, *quod itidem eſt ungula, eſt* ONONYCHITIS; *quomodo in vulgatis Codd. (nam MSS. mire variant) apud Tertullianum. --- Ubi cum non tantum* VNGVLAM *aſini, ſed &* AVRES *nominet, fortaſſe non tantum conflatur ex* ὄνος *&* ὄνυξ, *ſed etiam ex* οὖς ὠτὸς, *quod aurem notat. Quod ſi eſt*, ONONYCHOTIS *pro* ὀνονυχίτις *legi debet. Mihi quidem id magis probatur.* Et nobis omnino probatur; Et credimus omnibus iri probatum. Tantum pro *Ononychotis* ſubſtituimus ONONYCHOTVS, quoniam figura *maſculinam* referebat imaginem, illud vero foemininæ applicari poteſt.

ΔΟΞΑ ΘΕΩ.

II.

DE

PHILOSOPHIAE APVD ROMANOS INITIO ET PROGRESSV,

PAGANINI GAVDENTII

VOLVMEN,

In quo præter hiſtoriam multa ad contemplationem rerum, & diſſidentes Veterum Sapientum Scholas facientia, enarrantur.

IMMORTALI MEMORIAE EORVM,

QVI IN HOC OPERE PHILOSOPHIAE CAVSA HONORIFICE MEMORANTVR,

Librum ſuum offert, dicat

PAGANINVS GAVDENTIVS.

INDEX OPERVM TAM ETRVSCA QVAM LATINA LINGVA HACTENVS A PAGANINO GAVDENTIO EDITORVM.

Latina hæc ſunt: .

DE *Dogmatibus, & Ritibus Veteris Eccleſiæ obſervationum pars prima, & ſecunda.* Romæ apud Fr. Corbeletum.

Velitationes adverſus Danielem Chamierum, Romæ apud eundem.

Juridicæ expoſitiones cum additamento Critico. Florentiæ apud Sermatellios.

Inſtar Academicum. Florentiæ typis Amatoris Maſſæ, & Laurentii Landi.

Chartæ Palantes. Ibidem apud eosdem.

De Juſtinianæi ſæculi moribus pars prima, & ſecunda. ibidem, iisdem typis.

De Prodigiorum ſignificatione. Florentiæ typis Maſſæ & Landi.

Obſtetrix litteraria, & Epigrammata Nova. ibidem.

De Comparatione Dogmatum Origenis *cum Philoſophia Platonis.*

Salebræ Tertullianeæ.

De vita Chriſtianorum ante Conſtantinum. ibidem.

De evulgatis Romani Imperii Arcanis.

De Funere Heroum.

De Funere Cæſarum, ibidem.

De

De Pythagoræa animarum transmigratione.
De Ariſtoteleo Veterum contemptu.
De Juliani Imperatoris Philoſophia.
De Aperipato Julii Cæſ. Scaligeri. ibidem.

Opera Etruſca hæc ſunt:

L' Accademia Diſunita. In Piſa appreſſo Fr. Tanagli.
I Confini Regolati. appreſſo l' iſteſſo.
Le Singolarità delle Guerre di Germania. in Firenze appreſſo Am. Maſſi & Lor. Landi.
Reintegrazione de Poeti, appreſſo l' iſteſſi.
La Vita di Cleopatra. in Piſanella Stampa delli ſteſſi.

De quibus quidem operibus cum diebus proxime elapſis ad me exaraverit gratulationem Leo Franceuccius de Bezzolis, Eques S. Stephani, eidemque militiæ a conſiliis, vir natalibus, virtute militari, eruditione, & inſigni morum probitate, & candore conſpicuus, eam lubenter hic appoſui, ne viderer facundi Scriptoris erga me affectum, & humanitatem parvipendere. Laudes vero amicorum ſic admitto, ut interim non neſciam, nec obliviſcar, quantum mihi deſit, quamque tenui inſtruar ſupellectile.

AD

PAGANINVM GAVDENTIVM

Virum in omni doctrinarum genere excellentiſſimum,

Leonis Francucci de Bezzolis Aretini gratulatio.

NOn poſſum, Paganine, quin tibi non ſolum, ſed litteris etiam, litterarumque verè amantibus gratuler tam multos, tamque eximios in lucem emiſſos ingenii tui fœtus: per quos tibi non in Italiæ duntaxat nobilisſimis profecto Gymnaſiis, at ubi ubi Muſarum ſunt domicilia, immortalis jam parta eſt gloria: litteris vero magna facta eſt rerum pulcherrimarum acceſsio: earum denique ſtudioſis maxima ad omnigenam minimeque vulgarem eruditionem comparata ſunt adjumenta. Non hæc veteri a me dantur benevolentiæ: non ad gratiam loquar. Non eſt Aretinæ gentis vitium cuiquam adulari, ut etiam non eſt quemquam maledictis inſectari: unum ſi excipias, inſignem illum Principum maſtigem Petrum Aretinum peregrinis prorſus extra Patriam, a qua fere ſemper longisſime abſuit, imbutum moribus, ne dicam corruptum. Porro quam juſta ego utar gratulatione, quam vera de te proferam; aliena fortaſſe negante invidia, teſtes mihi ſint præclara illa Italiæ noſtræ decora Florentinæ Vrbis academiæ, quæ te, ut optimis abundant rerum æſtimatoribus, cum tua jam edita circumferrentur volumina tuumque inciperet clareſcere nomen, in eorum album, per quos illæ florent, non ſine benigno quodam ac modeſtisſimo plauſu, omniumque ſuffragiis retulerunt. Teſtes etiam appello honorificentisſimas non ab Italis modo, verum

rum etiam a Gallis, a Germanis, aliisve præcipuarum nationum viris ſane non paucis doctrinarum profeſſione inclytis datas ad te litteras, quibus illi vel te, vel tua egregie commendant litterarum monumenta. Fidem quoque dictis facturam non dubito nobilem ac numeroſam addictam Muſis juventutem, quæ tui nominis celebritate adducta, tuorum voluminum ſuavitate illecta, e tot quotidie tamque diverſis terrarum partibus ad te plures iam annos publice e ſuggeſtu feliciſſimeque docentem confluit. Legunt, Paganine, legunt, qui præteritorum temporum notitia mirifice delectantur, *geminum illud tuum de Juſtinianæi ſeculi moribus opus*, in quo cum multa, tum varia tractas, & pulcra omnia ex antiquitatis eruta penetralibus. Legunt, qui ſtudio graviori intenti in indaganda rerum natura cum voluptate verſantur, confectos a te *de Prodigiorum ſignificatione, deque Pythagoræa animarum transmigratione* libellos, in quibus tu hercle quantum in philoſophia valeas oſtendiſti. Perlegunt autem complures, & in his viri quoque graviſſimi, quam Italice nobis atque concinne deſcriptam *Cleopatræ Aegypti Reginæ vitam* evulgaſti; in qua etſi non uno in loco ludere videaris, ſeria tamen profers, & quæ documento etiam eſſe, modo non ſciolis ac pervicacibus queant. Sed longum foret ſingulas tuas ſuperioribus annis excuſas enumerare lucubrationes, quæ hominum manibus magna tua cum laude & nominis exiſtimatione teruntur. Neque iis plauſibile minus futurum arbitror, & lectionis frequentia dignum, quod recens a typis in orbis prodit theatrum *de ſuſcepta a Romanis Philoſophia* Volumen: ejusdem cum præferat autoris nomen, & ab eodem ſit ingenio profectum. Quare nil mirum, ſi te Sereniſſimus Ferdinandus, qui Magnus Hetruriæ ſapienter non minus, quam feliciter imperat, in præcipuum ſuæ ditionis Lycæum ad juventutis florem humanioribus litteris diſciplinisve ſolidioribus exornandum Piſas accivit; in eam, inquam, accivit ſedem, in qua Manutii, Angelii ac Bulingeri, viri æter-

æternitatem ſcriptis adepti docuerunt, accitum majoribus in diem ſtipendiis, quandoque etiam gemmis, quibus te publice ab eo donatum vidimus, ut eſt præmiator liberalisſimus, retinet. Imo, quod magis eſt, adeo tuo delectatur ad ipſum acceſſu, ut inter prandia ſæpe, tum reverenter tanti Principis majeſtati adſtas; Regias epulas Lucullianis etiam precioſiores doctisſimi colloquii tui ſuavitate conditas velit, teque non ante ſublatas menſas dimittat. Fruere igitur tam magna, tam rara mortalibus felicitate. Fruantur bonarum artium cultores tam fœcundi calami tui operibus, & quæ iam edita ſunt, & quorum tu nullis parcendo laboribus editionem adornas. Gaudeant vero literæ, quæ magis in diem magisque a te tuique ſimilibus illuſtratæ multo profecto melius cum armis, ut ſolent, de dignitate certare, atque præſtantia, ni fallor, poterunt: minimeque cogentur inter tubarum clangores, inter bellicos undique ſtrepitus, nobilisſimorum gliſcente quotidie ſcriptorum copia, teque præclara ſemper ſcribente, ſilere. Perge Vir præſtantisſime, ac dum rem literariam auges, benevolentiæ erga me tuæ affectum quæſo ne minuas. Deus te ſoſpitem tuumque Serenisſimum Mœcenatem publico bono diutisſime ſervet, bonorum ipſe omnium largitor atque Oceanus.

Vale.

M. Au-

M. Aurelius Galvanus clariſſimus in Gymnaſio Patavino Anteceſſor,

In literis datis Patavii Cal. Decembris An. MDCXLII.

PAGANINO GAVDENTIO,

Viro incomparabili,

Amœniſſima eruditio in tuo pectore velut in propria ſede exultat; & paulo poſt: *Tu regna in ſcholis, in libris, ubique,*

rurſus in literis datis Cal. Maj. MDCXLIII.

Librorum immortalitate de Libitina triumphas.

DE HISTORIA PHILOSOPHICA EXCOLENDA,

Diſſertatiuncula habita Piſis ad Studioſos Philoſophiæ, cum excuderetur liber de Initio, & Progreſſu Philoſophiæ apud Romanos,

quæ hic apponitur, ut ſit inſtar præfationis ad Lectorem.

IN Scholis hac tempeſtate Ariſtotelem philoſophicaque arcana qui enarrant, Auditores, ſic fere ſe gerunt, ut ſolliciti de ſententia unius præceptoris, reliqua omnia transmittant, negligant, inſuperque habeant. Nam Platonem tanti non faciunt, ut quandoque inſpiciant ſaltem obiter. Stoicos non lectione, ſed riſu excipiunt. Pythagoreos indignos putant, de quibus inſtituatur diſceptatio. Cum vero uni Stagiritæ, & aliquot ejus interpretibus adhæreſcant, inque ipſis latendo ſenes ſe reddant, mirum non eſt, ſi non ſolum reliquorum philoſophorum capitales ſententias ſpernant, ſed vitas eorum, qui philoſophati ſunt ignorent, omnemque hiſtoriam, quæ philoſophiæ multiplicem ſucceſſionem tradit, ſupervacaneam opinentur eſſe, exiſtimentque tempus, quod ipſi cognoſcendæ impenditur, falli, fruſtraque conteri. quæ prava opinio dici non poteſt quam ſit pernicioſa, quamque inſci-

tiam

pariat apud adoleſcentes, qui magiſtris ejus-
i credulas accommodant aures, quam enim tur-
ſt ignorare ea, quæ contigerunt diſciplinæ pro-
livinæ. quam rudem neceſſe eſt eſſe eum, qui
rrogatus: quis fuerit Plato, quis Ariſtoteles, quis
o, ubi vixerit, in quæ tempora inciderit, quem
um ſortiti fuerint, neſciat reſpondere, hiſcat
nde, ac ſi Harpocrati nunquam locuturus ſacra
ſſet. Atqui Viri ſapientes, qui nobis ingenii ſui
numenta reliquerunt, de vicibus Philoſophiæ, de
s Philoſophorum, de Regibus, Principibus, Impe-
ribus, qui aut philoſophati ſunt ipſi, aut philoſo-
s benevolentia ſua ſunt complexi, non tacuere.
n accurate valde multa ſic narrarunt, ut oſten-
ent partem non exiguam vitæ litteratæ & doctæ
illam, quæ de philoſophis ipſis agit, atque re-
ſet. id quamvis ſit prorſus exploratum, nulla-
e indigeat apud eos, qui in bonis libris peregrini
n ſunt, probatione, ut tamen vobis rem gratam,
ditores, faciam, & meum erga ſapientiæ Magiſtros
dium manifeſtum reddam, conſtitui hac diſſerta-
ıcula aliquot enumerare ſcriptores, qui hiſtoriam
loſophicam locupletare ſategerunt; ut nos ejus-
di diligentia ſublevati magis ac magis accendere-
r eorum arcanorum amore. Quis vero in hujus-
odi ſerie princeps prodibit, & ſe conſpiciendum
ebebit? an longo ordine omnes venient in acer-
m? an nullus præteribitur? peccaretur in veſtram
ulitatem prolixo nimis ſermone. Ergo tantum
s perſtringam, quorum opera uſus ſum, cum pri-
im librum de initio, progreſſu philoſophiæ apud

 Roma-

Romanos conflavi, nam ego pervaſi curioſo oculo a Plutarcho enarratas vitas, recognovi utrumque Catonem, Lucullum, Pompejum. qui labor mihi reliqua in argumentum propoſitum opportune ſuggeſſit. inſpexi Gellium, Herodianum, Suetonium, Dionem Caſſium, ipſi me ſua opera non deſtituerunt. recognovi Senecam, Tacitumque, an inde ſiccus diſceſſiſſem? nequaquam. inprimis in conſilium vocavi hiſtoriæ Auguſtæ chartas, in quas eruditiſſimus Caſaubonus exercuit ſtylum. Quam multa ex hujusmodi ſcriptoribus petita? quid memorem Eunapium, quid Porphyrium accurate ſcribentem Plotini, ſummi philoſophi vitam? nec præterivi Heſychium illuſtrium Milleſium. Vidi, quæ traduntur a viris doctis de Apulejo, philoſopho Platonico, de Boëtio. non ſemel in manus ſumpſi Suidæ collectanea, perluſtravi Perſii Satyras, ne prorſus jejunus eſſet meus commentarius. Nec Macrobium immemori animo excepi. Horum, atque aliorum auctorum auſpicio non dubitavi novitatem hanc in hiſtoria philoſophica aggredi. Nam hactenus, quod ſciam, nemo calamum ad hujusmodi materiam illuſtrandam tranſtulit. Quod ſi ſcire cupiatis, num prorſus a quæſtionibus philoſophicis abſtinuerim, ſolique narrationi inſtiterim, reſpondebo bona fide, dediſſe me operam, ut iis, qui anhelant ad contemplationem, & hiſtorica cognitione minus detinentur, aliqua ſaltem ex parte facerem ſatis. Arripui igitur non ſimplici vice anſam excurrendi ad umbras philoſophorum, hoc eſt

ad

ad ſcholas, in quibus fundantur myſteria ſapientiæ, & ſæpe ſuſcepi tales digreſſiones, quæ tamen vix digreſſiones dici debent, quandoquidem explicant ſcripta eorum, qui Romæ philoſophati ſunt.

Expectatis forte, ut poſtquam talia protuli, vos invitem ad legendum evolvendumque volumen? Non ita me geram, ne ambitioſus videar. Nam niſi vos amor veri, aut ſaltem amor, quo proſequimini inſignes homines, philoſophiæ interpretes, & myſtas compulerit effeceritque, ut hiſtoriæ philoſophicæ non pœnitendam partem cognoſcatis, nequicquam adhibebitur adhortatio. Certe, qui compoſuit librum, dum vehementer oſtendit cupere ſe ſuas cogitationes legi, rogando a lectione retrahit. Tacite namque propria laudat, dum tantopere urget ad evolvendum quæ exaravit. Sic imprudenter in notam, qua laboravit Suffenus irriſus a Catullo, incidit. Cum igitur meum non ſit laudibus efferre, & accurate commendare, quæ evulgare conſtitui, vos veſtra utimini libertate, & ſiquidem putatis a me quæ proficiſcuntur ſtudioſa perſcrutatione non eſſe indigna, date operam, ut in veſtras veniat manus muſteum opus, ſin aliter ſentitis, me quidem non irato, aliis voluminibus, quæ meliora exiſtimatis, tempus impendetis. dixi.

DE

DE INITIO ET PROGRESSV PHILOSOPHIAE APVD ROMANOS.

CAP. I.

Conſpectus ſucceſſionis Philoſophicæ, exhibitus ex factis Conſularibus & Chronologia.

EI qui cum fructu vult legere Volumen, quod de Initio & progreſſu Philoſophiæ apud Romanos, exhibeo, par eſt obverſari tanquam in tabella ſeriem temporum, ne ſæcula inter ſe confundantur, & quod ſero contigit, cito eveniſſe putet, mediasque ætates cum primis aut noviſſimis commiſceat, opus, inquam, eſt lectori meæ diſſertationis, Chronologia, quam jacere hodie in Italia quantopere dolendum. Chronologia namque ſi verum fateri non abnuimus, eſt Ariadneum filum,cujus adminiculo ex labyrintho temporum involutiſſimo in apertiſſimum labentium ætatum evadimus campos, & amœna vireta. Ergo ſi tibi non eſt læva mens, candide lector, hilares alacreſque in hanc Chronicam texturam flecte oculos.

Anno ab VC. XXXVIII. obiit Romulus cui ſucceſſit Numa.

Pythagoras Servio Tullo regnante Romæ, circa Metapontum, docuit teſte Livio. Servii Tulli regnum incidit in annum CLXXIV.

Sed

Sed ante Servium regnavit Tarquinius Priſcus anno CXXXIIX. is fuit Transmarinæ originis, oriundus Corintho græcum ingenium Italicis artibus miſcens. an veriſimile eſt tunc aliquid philoſophiæ Græcanicæ illatum Romæ?

Anno ab V.C. CCCIV. quando latæ ſunt leges XII. tab. vivebat Romæ Hermodorus Græcus vir ſapiens, Heracliti familiaris. expertem tantum virum fuiſſe philoſophiæ nequaquam probabile eſt.

Circa annum IↃLIX. floruit Romæ Panætius, præceptor Scipionis Africani.

Anno IↃXCII. factum eſt Senatu ſ. conſultum Coſſ. C. Fannio Strabone, & M. Valerio Meſſala, Philoſophi ne Romæ forent.

Circa annum ab VC. IↃCLX. usque ad annum IↃCC. floruerunt Sylla, Lucullus, Cicero Julius Cæſar, quibus multum acceptum tulit philoſophia apud Romanos.

Imperium Augusteum incipit anno IↃCCX. Et definit anno IↃCCLXV. Tunc igitur clari fuerunt favente Auguſto Arius, Athenodorus, aliique philoſophi.

Tiberius imperavit annos XXIV. ab anno VC. IↃCCLXVI. ad IↃCCLXXXIX. in hæc tempora incidit Thraſylli fama.

Caligulæ Imperium ad tres extenditur annos ab anno IↃCCLXXXIX. usque ad IↃCCXCIII. non ignotus ſub Cajo fuit Demetrius Cynicus.

Romanis deinceps præeſt Claudius anno IↃCCCIV. usque ad IↃCCXCV. Seneca hoc imperante exul fuit in Corſica.

Nero

Nero imperat ab anno ɪↄcccvɪɪ. usque ad ɪↄcccxx. ejus juſſu idem Seneca occiſus eſt.

Neronem excepit Galba, hunc Otho, Othonem Vitellius, Vitellium Veſpaſianus, qui dominatus eſt annorum undecim ſpacio ab ɪↄcccxx. ad ɪↄcccxxxɪ.

Titi breve fuit Imperium, ſub quo notiſſimus fuit Plinius hiſtoriæ naturalis Scriptor.

Domitianus imperavit ab anno ɪↄccccxxxɪv. usque ad ɪↄcccxʟvɪɪɪ. is Philoſophos Roma expulit. Apollonius Tyanæus arte magica euaſit ex vinculis.

Sub Trajano qui imperavit novemdecim annos ab anno ɪↄccccʟɪ. usque ad ɪↄccccʟxɪx. floruit Plutarchus Chæronenſis.

Sub Hadriano, qui regnavit usque ad annum ɪↄccccxc. Phavorinus, Taurus clari fuerunt.

Antonini Pii Imperium non deſtitutum eſt claritate Apuleji philoſophi Platonici.

Sequuntur deinceps Divi Fratres Marcus ſcilicet Pius, philoſophus, & Antonius Verus.

Vixit tunc Apollonius Chalcidenus, præceptor Marci, ut alios omittam.

Extenditur Marci Imperium usque ad annum ɪↄccccxxvɪɪɪ.

Commodus imperavit usq; ad annum Iↄccccʟxɪv. Septimus autem Severus cum Antonio Caracalla regnarunt usque ad annum Iↄcccʟxɪv. floruit ſub his Alexander Aphrodiſienſis.

Super eſt Caracalla usque ad Iↄccccʟxvɪ. Heliogabalus imperat ab anno Iↄccccʟxxɪ. usque ad Iↄccccʟxxɪv.

Ale-

Alexander Severus imperavit tredecim annos. is coluit religioſe Apollonium Tyaneum in Larario.

Sub Philippo qui imperavit anno IↃccccLxxxxvI. venit Romam Plotinus. Et vixit etiam ſub Galieno, cui carus fuit.

Aurelianus qui obtinuit imperium anno cIↃxxIII. occidit Longinum philoſophum, cum cœpiſſet Zenobiam.

Usque ad Probum videtur vixiſſe Porphyrius. Ultimus autem annus Probi incidit in annum cIↃxxxIII.

Sub Conſtantio, cujus imperium incidit in annum cIↃcv. claruit Themiſtius, & deinceps.

Theodoſius, & Valentinianus edixerunt, ut unus Philoſophus publicè Romæ interpretaretur philoſophiam.

Imperium Zenonis Iſaurici incidit in annum ab VC. cIↃccvIII. Conſul fuit Boetius anno cIↃxxxvIII. qui magnanimus non dubitavit Ariſtotelica augere illuſtrare dogmata, quod eo majoris faciendum, quia incidit in tempora calamitatum pleniſſima. Jam enim bis direpta fuerat à marociſſimis hoſtibus Roma. Primum quidem à Gothis duce Alarico anno cIↃcLxIII. & iterum anno cIↃccVIII. à Vandalis, qui omnibus opibus urbem ſpoliarunt, ornamenta, & inſignia duce Genſerico in Africam tranſtulerunt, ſcribente id Juſtiniano C. de offic. præf. præt. Afric. ut verum tandem ſit quod M. Varro Lib. XVIII. Antiquit apud Cenſorinum ſcriptum reliquit Vectium ſe Romæ in augurio non ignobilem, & ingenio cuivis doctori in diſceptando parem audiviſſe dicentem: quoniam

niam CXX. annos incolumis præteriſſet populus Romanus, ad MCC. perventurum.

Boetium itaque noviſſimum recenſent, qui Romæ philoſophorum præceptis cives imbuere ſategerit. Quamvis poſt lapſum multorum ſeculorum, tandem ducentis, aut paucioribus ab hinc annis revixerit in urbe philoſophia annitentibus ſummis Pontificibus, operam ſuam conferentibus magnis viris Beſſarione Cardinali, Theodoro Gaza, aliis, quorum memoria deinceps diutiſſimè, ut apparet, inſtauratæ ſapientiæ cauſa vigebit, ſenio contempto, oblivione depulſa, obſcuritate ſuperata, parabilis autem ideo mihi extitit de Initio & progreſſu Philoſophiæ ſcriptio, quod publicè hiſtoriam, politicamque in Celeberrimo Gymnaſio, quod eſt Piſis, profitens jam tot labentibus annis lubenter vitam Imperatorum à Tacito, Suetonio, & auctoribus hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptam explanaverim auditoribus, & quæ videbantur ſingularia, cognoſcenda propoſuerim. Cæterum cum non pauca de liberalibus ſtudiis, atque etiam philoſophia Cæſarum in ejuſmodi prælectionibus mihi fuerit neceſſe occurrere, mens ſua ſponte cœpit de toto argumento cogitare ſerio. Nec lubuit à Cæſarum Imperio philoſophicam hiſtoriam inchoare. Quin recurri ad initia rei Romanæ, ad quod me invitavit meum itidem munus quod tribui Livio, Floro, & Dioniſio Halicarnaſſeo, quorum opera neceſſe fuit ſæpe depromere inter docendum. Non ſolum autem de philoſophia Cæſarum ſuſcepi tractationem, quam jam publicæ exhibeo luci, verum etiam eodem ferè filo aut deduxi, aut inchoavi, aut ſaltem animo ſum com-

complexus alia. Si tanti putas eſſe meam opellam, lector, ut ſcire ſatagas, quænam ſint, quæ tuæ paro utilitati, non reticebo equidem. Talia namque celari renuunt, cum ſtudioſorum velificentur profectui. Ergo ſuo tempore forte videbis de Peregrinatione Cæſarea librum, quo oſtendam, quantum laboris exantlaverint veteres Imperatores huc illuc per provincias commeando, ut cuncta componerent, bella profligarent, populos ſolarentur, compeſcerent præſidum rapacem avaritiam, quin & diſcerent, animumque paſcerent, pulchra variarum rerum cognitione.

Exeret quoque caput ſuo tempore libellus de more Imperatorum in dicendo jure, quem inſcribam; Cæſareum tribunal. Magni namque Principes ſuarum eſſe putabant partium lites decidere, fraudibus Advocatorum, imo Magiſtratuum occurrere. At hodie pravi quidam Juriſconſulti perſuadent Principibus jus totum committendum eſſe doctoribus, neque eſſe è dignitate Regum tribunalibus ſeſe immiſcere. O peſtilentes voces, O paradoxa in ultimas terrarum oras ableganda.

Nihil etiam vetabit addere, de Cæſarea Poëſi exercitationem, ut intelligant inepti quidam, & barbari homines, quam glorioſa ſit Poëſis, quam amplecti, & excolere non ambegerunt orbis terrarum Principes. Ejuſmodi argumenta, ut ſpero, ad tuum, Lector, facient palatum, cum ab illis, qui tamen prolixos de Romano Imperio evulgarunt commentarios aut neglecta prorſus fuerint, aut levi ſane opera perſtricta potius quam deducta, & promulgata. Quod ſupereſt, Deo optimo gratias ago, qui hanc mentem

mihi indiderit non indulgendi otio, & vitam ſilendo tranſigere, eundem rogo, ut in hoc propoſito mihi det eſſe ad noviſſimam usque horam conſtantem. fiat, fiat.

Ad Heroës Philoſophos, quorum nomina, *& libri recenſentur in hoc opere.*

EPIGRAMMA.

ILluſtres animæ, tranſcriptaque nomina cœlo,
Heroës, digni ſede ciboque Deum,
Quos olim Sophiæ juvit potare fluenta,
Et cultu Natam demeruiſſe Jovis;
Aſpicite hunc propius partum, tenuemque libellum,
Quo vos in numerum, veſtraque dicta voco,
Efficite ut longe volitent, lateque papyri,
Nec metuant Plutum, tardipedemque Fabrum.
Sic erit, ut reliquos, Phœbo duce, & auſpice, fœtus
Cecropii jubeam tecta ſubire chori.

Ad Imperatores Romanorum, qui vel fuerunt Philoſophi, vel Philoſophos amarunt.

CÆſarei Heroës, magni Jovis aurea proles,
Sceptrigeri Proceres, Romulidumque Duces,
Vos ego in his refero cupidus, laudoque papyris,
Subque pios oculos inclyta facta voco,
Non queis Germanos, debellaſtisque remotas
Parthorum ſedes, Maſſagetumque domos,

Sed

Sed quibus æthereæ venerati templa Minervæ,
Docto excepiſtis pectore grande Sophos.
Et myſtas Sophiæ vario coluiſtis honore,
Munifica dantes plurima dona manu,
Credita quæ faſtis, livor non obruet ævi,
Ireque non cernet ſub ſtyga ſera dies.

In Plebejos Philoſophiæ tractatores.

Hinc curvæ procul ite animæ, ſublimium inanes,
Ite procul, vos hinc Pallas abire jubet.
Nam refero Proceres, quos norunt Tybridis undæ
Voluiſſe aſſidua candida ſcripta manu.
Atque inter menſas bilares fudiſſe loquelas
De tellure, mari, ſtelliferaque plaga.
Quin memoro rerum Dominos, Mavortis alumnos,
Induperatores, laurigeroſque Patres,
Quos pia detinuit Sophie, & ſincera voluptas,
Qualis Diis nectar præbet & ambroſiam.
Hinc ergo procul ite animæ, cœleſtium inanes,
Nam mea vos plebem pagina ferre nequit.

Ad Studioſos adoleſcentes, qui legunt librum hunc.

Egregii Juvenes, quos florida purpurat ætas,
Quosque Minerva alacres, ad ſua tecta vocat,
Suſpicite excelſæ immortalia nomina Romæ,
Doctificam vigiles qui coluere Deam,
Tantorumque hominum exemplo ſtimulate virentes
Ingenii vires, magnanimamque animam,

Robuſtum miſeræ ſeponite dogma ſenectæ,
Ne vos deprendant ultima fata inopes.
Sic erit, ut ſanctæ defunctis munere vitæ,
Æthereæ pateant lucida templa domus.

Ad eos, qui unum ſectantur Ariſtotelem.

HVc, precor, huc oculos converſo lumine flecte,
Qui ſolum addictus voluis Ariſtotelem,
Diſceque: num ſoli dederint ſua puncta Lyceo
Ingenui Æneadæ, Dardaniique Patres?
Quin Academiam ſubeuntes, tectaque Stoæ
Te Zeno, aſſidui te coluere Plato.
Ergo Palladius, qui geſtas Sacra Sacerdos,
Noli unum addictus voluere Ariſtotelem.

CAP. II.

Initium philoſophiæ apud Romanos non eſſe ad Numam referendum. Confutatur fabula quædam de Pythagora.

SI famam, quæ longe lateque percrebuit, ſequi velimus, initium philoſophiæ apud Romanos, ad Numam, ſapientiſſimum Regem referendum fuerit. Creditum namque olim eſt in Italia à Pythagora doctum eruditumque fuiſſe Pompilium. Nam cum tanta Rex floruerit ſapientiæ laude, quis dubitet ei Philoſophum aliquem, & quidem præclariſſimum, ad Palladis templum præiviſſe, comiterque viam oſtendiſſe. Audiamus Ciceronem: *quidam*

dam Pompilium Numam Regem noſtrum fuiſſe Pythagoreum ferunt. Plutarchus in vita Numæ ſic loquitur: *Cum igitur narrent Numam Pythagoræ auditorem fuiſſe.* Concinit Livius: *auctorem doctrinæ* (Numæ) *Samium Pythagoram edunt.* Pervulgatæ opinioni quis erit, qui velit obſtrepere, & brachia contra torrentem publicæ vocis dirigere? Sed vulgi rumorem rejiciunt graves Scriptores, exſufflat temporum peritia, quæ à Græcis Chronologia nuncupatur. Livius falſo hoc editum de Numa aſſerit. Cicero in prima Tuſculanarum refert; *Superbo regnante in Italiam veniſſe Pythagoram.* Rurſus idem in ſecundo de Oratore non hæſitanter ait, Numam permultis fuiſſe annis antequam ipſe Pythagoras. Vides auctoritate tantorum hominum explodi fabellam de Pythagoræ cum Numa congreſſu. Non defuerunt, ut teſtatur Plutarchus, qui vulgatæ opinionis ſuſcipientes defenſionem dixere, ante Pythagoram Samium extitiſſe alium Pythagoram Spartiatam, qui Stadium viciſſet in Olympia, ſexta decima Olympiade, cujus anno tertio in regnum Numa conſtitutus eſt, eum errabundum circa Italiam cognoviſſe Numam.

Sed quis fidem habeat narrationi tam obſcuræ de Pythagora Spartiata adeò antiquo, & adeò docto, cujus tamen nomen ſilentio fuerit præteritum à conditoribus annalium?

Ne autem miremur extitiſſe non paucos, qui tempora confundentes apud Romanos, Pythagoram aſſeruerint fuiſſe Numæ Magiſtrum, quandoquidem antiquiſſimis temporibus in Italia Chronologia negligе-

gligebatur, nec dicere erat, quo tempore quiſque Rex aut vir inſignis floruiſſet. Nonne hac quoque tempeſtate Turcæ temporum præteritorum memorias neſciunt, aut ſi quas ſciunt prorſus commiſcent faſceatim, & confundunt?

Sed quæret aliquis, ſi Numa non habuit præceptorem Pythagoram, ſub quo dicitur profeciſſe, cujus auſpiciis ad faſtigium Sapientiæ pertigit? Reſpondere licet cum Livio ſuopte ingenio profeciſſe Numam non inſtructam peregrinis artibus, ſed diſciplina tetrica, ac triſti Sabinorum. Nam fabulam de ejus cum Pythagora congreſſu magis ac magis jugulat, dum narrat conſtare Philoſophum Samium Servio Tullò regnante Romæ, centum amplius poſt annos, in ultima Italiæ ora circa Metapontum, Heracleamque & Crotonem juvenum æmulantium ſtudia cœtus habuiſſe. Quod ſi ſubtiliter de natura rerum diſſeruiſſet Numa; poſſet quis urgere hiſtoricos, ſcireque velle, quo duce penetraſſet Numa abdita Philoſophiæ? at ipſe præcepta tulit de iis, quæ facerent ad ſalutem Regni adque cultum Deorum, quarum rerum cognitione ut quis imbuatur non neceſſe eſt aliquot annorum ſpatio vacare docenti philoſopho. Quæ omnia oſtendunt philoſophiam tempore Numæ pedem Romanæ non intuliſſe urbi, ſed ejus principium ad ſubſecuta rejiciendum tempora, fas tamen eſt gravitatem morum, quæ in Numa eluxit, his excipere numeris.

Non Numa Pythagoræ profecit lege Magiſtri,
Tempora ſi numeras, hiſtoriamque legis.

Sed

Sed parvis natus Curibus, genitore Sabino
Auguſto didicit tramite ferre pedem.
Quin puerilem animum incoxit gravitate ſevera,
Ne vitia hauriret, neve lateret iners.
Sic ſapiens meruit dici, ponique Sophorum
In cœtu, qualis Zeno, fuitque Plato.

Cap. III.

Augures Numæ nequaquam cum philoſophis eſſe confundendos.

EXploſa fabula de Pythagora, erit nihilominus, qui ad Numæ Regnum referat philoſophiam, quandoquidem non defuerunt tunc, qui avibus obſervatis divinarent, auguralem autem ſcientiam videri eſſe philoſophorum propriam, quandoquidem Magi apud Perſas ſic philoſophabantur, ut in fano colloquerentur, & augurando divinarent. Magos porrò Perſarum philoſophos conſtat fuiſſe.

Quæ quamvis ſic proferantur, non tamen largiar, philoſophiam viguiſſe ſub Numa. Nam auſpicia nec apud Trojanos negligebantur, & magni fiebant heroicis quoque temporibus apud Græcos, ut nos docent Homeri poëmata. Non inde tamen quis collegerit Vates illos, quorum nomina valde inclaruerunt, philoſophiæ fuiſſet myſtas. Graviter profecto impingeret, qui omni nationi philoſophiam imputaret, cunctoſque eos pronunciaret eſſe philoſophos, qui de rebus futuris conjectant. An Tuſcia

invenit philoſophiam, aut Tages fuit Philoſophus, quia apud Tuſcos cœpit aruſpicina exerceri? Largiamur apud Perſas eosdem fuiſſe Magos, & philoſophos, & augures, hoc eſt Magos auguralem exercuiſſe diſciplinam, num hinc exculpes eandem eſſe auguralem cum philoſophica ſcientia? Nam Julianus, ut refert Ammianus Marcellinus, habuit in ſuo comitatu adverſus Perſas cum ſe conferret, aruſpices, augures, Philoſophos, inter quos magnum cum foret diſcrimen, ſigillatim conſulebantur. imo aliter apparet reſpondiſſe Imperatori, qui cum majorem haberet fidem philoſophis, adverſa ſigna neglexit, & irato cœlo ſuum proſecutus eſt iter. Quod videre eſt apud hiſtoricum Marcellinum, & ego anno præterito cum de Juliani philoſophia ederem opuſculum ſatis perſpicuè expoſui.

CAP. IV.

An ſub Tarquinio, aut tempore Decemvirorum aliquid philoſophiæ illarum fuerit Romæ?

AN dicemus Tarquinium ex Græcia oriundum Philoſophiam Romæ intuliſſe? id veriſimile exiſtimabit aliquis, quandoquidem græca inſtituta cum philoſophia conjuncta erant. Satagit autem quisque ea qui ſibi maxime probantur, propagare, aliisque commendare. Non putarim tamen de philoſophia admittenda cum Romanis egiſſe, cum nihil de ejusmodi peritia, quando ipſe memo-

memoratur, ab hiſtoricis recenſeatur. Nec enim qui græca eſt prædictus elegantia, & civilitate, ſtatim philoſophus nominandus venit. Quod ſi philoſophus fuiſſet Tarquinius, non propterea invehere in urbem Romam philoſophiam ſategiſſet. Nam juxta mores exterorum qui vitam inſtituit, odium publicum ſibi attrahit populi, quod de Vonone refert Tacitus in ſecundo Annalium. Anacharſis profectò poſtquam in Græcia didiciſſet philoſophari ad ſuos Scythas reverſus ideò eſt vita ſpoliatus, quod inſtituta Græciæ ipſis obtrudere, moreque Græcorum ſacrificare cuperet.

De Hermodoro amico Heracliti quid dicemus? veriſimile eſt eum fuiſſe philoſophica præditum cognitione. Cum autem tanti factus fuerit, ut Duodecemviri ejus opera, & conſilio fuerint uſi in concinnandis decem tabulis, ſuſpicari licet ejus auſpiciis aliquid ſaltem ex philoſophia Heraclitia, quæ maximi fiebat apud Græcos, Romæ illatum fuiſſe.

Sed hæc ſuſpicio eſt, deſtituta claro hiſtoricorum teſtimonio; ſine quo qui veriſimilitudini velificatur, nihil agit, nam de rebus geſtis quando agitur, opinio incerta gradum cognitionis non promovet. Ergo ſileat adhuc Romæ philoſophia, donec certiora de ejus initio detexerimus.

Cap. V.

Ex eo, quod aliqui antiquitus excantarent fruges apud Romanos, non eſſe colligendum fuiſſe ibi Philoſophos.

PHiloſophiæ qui olim erant inſenſi Magiam ferè cum ipſa conjungebant, & philoſophos cum Magis, quorum artes vetitæ, commiſcebant. Ipſi dicerent viguiſſe Romæ philoſophiam, cum à Decemviris conderentur leges. Cur ita? quia in XII. tabulis de Magia non exercenda lex ſancita. ſic enim habebat: *Si quis alienas fruges excantaſſit, capital eſto.* Quo reſpexit Seneca in quæſtion. Naturali. *Et apud nos in XII. tabulis cavetur, ne quis alienos fructus excantaſſit. Rudis antiquitas credebat attrahi imbres cantibus, & repelli. quorum nihil poſſe fieri, jam palam eſt, ut hujus rei cauſa, nullius phhloſophi Schola intranda ſit.* Quod vero philoſophi cum Magis congreſſi ſint, docet Suidas, cujus hæc ſunt verba: *Empedocles ipſe, & Pythagoras, & Democritus Magorum uſi conſuetudine, multaque divina effati, nondum illa arte cenſentur.*

Sed qui argutando ex frugibus non excantandis elicere vult philoſophiam, ille etiam mira monſtra ex aliis legibus evocaret. Prorſus vetita Magia, quam qui profitentur Malefici appellantur in Codice, à philoſophia ſecernenda. Nam qui Philoſophi congreſſi dicuntur cum Magis, cum Chaldæis, & Sacerdotibus apud Aſſyrios, & Perſas ſunt collocuti. Ejusmodi autem Magi quales fuerint jam pridem expoſitum eſt ab eruditis hominibus. Certe quod fuerunt apud Ægyptios Gymnoſophiſtæ, apud Indos Brachmanes, apud Gallos Druidæ, apud Græcos philoſophi, hoc extiterunt, apud Chaldæos, aut Perſas Magi. Hi nequaquam uſi ſunt incantationibus,

ut perderent homines, non occiderunt homines, ut ex eorum fibris futura proſpicerent. Non conati ſunt recitatis carminibus Lunam cœlo deducere, non venena miſcuerunt, ut veneficio vitam alicujus decurtarent. Tantum autem abeſt, ut philoſophia faveat pravis veneficarum artibus, ut vix ullus repertus fuerit philoſophus tali nomine dignus, qui ejusmodi ſcelera non damnaverit. An enim viri excelſo præditi ingenio, & pulcherrimarum cognitione rerum ſuccincti ad talia ſcelera appellerent animum? quod ſi fas foret aſſerere Romæ fuiſſe philoſophos tempore Decemvirorum, quia nonnulli excantabant fruges, Colchicum profecto regnum abundaſſet præceptis philoſophiæ, nam Medea quid non potuit præſtare ſuis veneficiis? Theſſalæ quoque mulieres in cœtu philoſophico eſſent recenſendæ, nam veneficæ perditiſſimæ abiverunt in proverbium. Inſignis philoſopha fuiſſet Locuſta, temperatrix venenorum ingenioſa. Comitia Philoſophorum tunc haberentur, quando mulierculæ ope Dæmonum ad Beneventanas noctes, ad Lemannicas præſtigias ſeſe conferunt. Ploraret philoſophia, ejularet ſapientia, quando vetulæ pravis artibus infames ob interfectos infantes ſupplicia pendunt, & publico in foro tardipedi traduntur Vulcano uſtulandæ, & in cineres redigendæ. Ne ergo à quoquam Philoſophia cum vetitis Magorum artibus confundatur, quod etiam lubet carmine exprimere.

Nigra

Nigra ſuperſtitio, Magicas quæ ſuſtinet artes,
Concidat, exilio ſuppliciumque luat.
Aſt vigeat Pallas, cerebro Jovis edita virgo,
Nullus non ſtudiis excolat ingenium.
Cecropis hoc jubet urbs, quam tandem Roma Magiſtram
Excepit, grato detinuitque ſinu.

Cap. VI.

An à Pythagoræorum cœtu pertigerit Romam philoſophia?

AN ſaltem opera Pythagoræorum Philoſophia, ſi non ex omni, aliqua certe ex parte, dicetur ſe Romanorum auribus inſinuaſſe. Dio profectò Pruſæus oratione XLIX. teſtatur: *Italos omnes à Pythagoræis inſtitutos.* Cicero, in primo Tuſculanarum aſſerit poſt Pythagoræ tempora viguiſſe Pythagoræorum nomen in Italia, ut nulli alii docti viderentur. Plato in Italiam venit, audivitque Philolaum, Timæum, Architam, aliosque in ſecundo de oratore Tullius teſtatur: *refertam quondam Italiam Pythagoræorum* fuiſſe. Nemo tantam ſocordiam impegerit Romanis, ut aſſerat nihil ex talibus ſententiis, & dogmatibus perveniſſe in urbem.

Ejusmodi conjectura ad veritatem proximè accedit, ſed cum conjectura ſit, non impedit, quo minus animus vacillet, abnuatque ſentire viguiſſe Pythagoræam philoſophiam in urbe quoque Roma, cum tamen id ab annalium conditoribus proditum non fuerit. Nam quam graves motus exercuerunt popu-

populum Romanum. Sæpe inter ſe ſunt colliſi, in diſcrimen ingens vocata libertas. Plebs fremuit contra patritios. Inſtabant interim vicini ægrè ferentes in tantam ſpem condendi Imperii ſurgere Quiritum mentem. Inter hæc quis philoſophico otio tranquillitatique profeſſoriæ fuiſſet locus? non tubæ, non tympana permittebant exaudiri longinquas, & exiles Pythagoræorum voces.

Quod ſi levibus conjecturis liceret ſuam credere cogitationem, eodem marte fas foret dicere putaſſe Romam animos hominum eſſe ſempiternos. Nam id dogma traditum ſcimus à Pherecyde Syrio Pythagoræ Magiſtro. Talique conjectura magis munire certam de immortalitate animorum ſententiam, quam fides quoque Catholica prorſus adſtruit.

Aliquis etiam ex cœtu Copernicano muſſaret, tacitusque obſervaret putaſſe Romanos, tetram moveri, cœlum ſtare. Cur ita? Nam Philolaus, non quidem auditor, ſed ſectator Pythagoræ ita ſentiebat: Quæ opinio dicitur etiam fuiſſe Nicetæ Syracuſii, ſi credimus Ciceroni in ſecundo Academicarum quæſtionum, cum præſertim Seneca in quæſtionibus Naturalibus dicat deliberandum, ut ſciamus; an ſtante mundo terra vertatur.

Sed hæc tam levia ſunt, ut à minima aura diſſipentur, jactenturque per aëra. Doctiſſimi namque Aſtronomi, ut Philoſophos omittam, immobilem eſſe terram magno aſſeruerunt conſenſu ad Copernici uſque ætatem, Philolaique Nicetæ & Senecæ nullam habuerunt rationem. An autem imperitiæ notam ejusmodi in re licebit impingere clariſſimis diſciplinarum

narum Mathematicarum profeſſoribus? ſed ne vagemur extra lineas, quas ratio argumenti nobis præſcripſit.

Cap. VII.

Panætium Rhodium primum videri claruiſſe philoſophiæ nomine Romæ. Eum fuiſſe præceptorem Minoris Africani.

QVem dicere eſt claruiſſe primum Philoſophico ſplendore Romæ? An Panætium Scipionis præceptorem? id videtur aſſerendum, cum Suidas, imo Cicero, Paterculus teſtentur tantum belli Ducem ſub ejusmodi profeciſſe magiſtro. Fuit is Diogenis Stoici diſcipulus Stoicus Nicagoræ filius, mortuus tandem Athenis.

Patriam habuit Rhodum, ut teſtatur Polybius lib. IV. qui etiam innuit fuiſſe nobili genere natum, nam ejus majores memorat, quod non feciſſet ſi fuiſſent obſcuri.

Docuit absque dubio non tantum privatim (ut videtur) Africanum, qua de re Cicero lib. I. offic. dum vocat Africanum Panætii auditorem, ſed etiam publice valde multos, nam idem Polybius facit mentionem Apollonii Stoici, optimi inter auditores Panætianos. Unde etiam diſcere eſt fuiſſe eundem Panætium Zenonianæ doctrinæ profeſſorem. id quoque diſerte teſtatur Cicero lib. I. offic. nam ait, velle ſe ſequi in materia de officiis Stoicos, & deinceps ſubinde recurrit ad Panætium, qui luculentum de ea

re

re ſcripſerat Commentarium. Eum quoque inter præcipuos Stoicos recenſet Philo lib. de Mundi incorruptib. dum ait: *Boethum, Poſidonium, Panætium viros Stoica doctrina valentiſſimos ad placitum de mundi incorruptibilitate transfugiſſe.* Unde collligere eſt, Panætium ſic fuiſſe Stoicum, ut tamen in dogmate de mundi corruptibilitate ab ipſis diſceſſerit. Ne miremur, ſi aſſeruerit quoque animam eſſe mortalem teſte Cicerone, licet cæteroqui ſummopere admiraretur Platonem, quem omnibus locis: *divinum, ſapientiſſimum, ſanctiſſimum, Homerum Philoſophorum* appellabat. O lapſum magni viri, qui deferens Platonem potuit immortalitatem animorum oppugnare reclamante non tantum philoſophorum, ſed nationum communi prope conſenſu.

Diſcant interim Peripatetici philoſophiam illatam Romæ à Stoico, ſimulque norint Romam præ omnibus ſectis philoſophorum foviſſe, amaſſe, promoviſſe Stoicos.

Ordine porro naturæ turbato videtur Panætius ſupervixiſſe diſcipulo Scipioni Æmiliano, quandoquidem ait Cicero vixiſſe Panætium triginta annos poſtquam de officiis libros evulgaſſet. Quo vero dolore dicendum eſt affectum fuiſſe philoſophum, quando audivit impiis propinquorum manibus ſublatum dilectiſſimum diſcipulum. Nam ſic periiſſe Scipionem colligere eſt ex verbis Africani Majoris apud Ciceronem in ſomnio. Scipio ſcilicet adverſabatur Cajo Graccho, cumque fortis ac validus pridie domum ſuam ſe recepiſſet mane in lectulo repertus eſt mortuus ſine vulnere, ut ait Appianus. Uxor erat illi

illi Sempronia, ſoror eorundem Gracchorum, deformis fœmina & ſtolida, quæ ob ea vitia contemni ſe à viro graviter ferebat ſuſpecta ergo fuit, tanquam Corneliæ matris,& Gracchi fratris juſſu maritum ſuſtuliſſet. De morte tamen ejus nulla quæſtio habita; quod ait Valerius in capite de ingratis, *qui raptorem Spiritus domi invenit, mortis punitorem in foro non reperit.* Quod agens de Panætio præterire non potui, quia vulgò non ita notum eſt, quomodo & quo mortis genere graviſſimi philoſophi triumphalis diſcipulus obiverit. Sed miſſo Scipione, recitemus Epigramma honori, & gloriæ ſummi philoſophi Panætii Rhodii, inter Stoicos nulli ſecundo dicatum.

Soli ſacra Rhodus genuit te, docte Panæti,
Quem ſecum gaudet ducere Scipiades,
Dum peragit Mavortis opus, feralia bella,
Victricique premit Punica regna manu.
An quiſquam audebit deinceps lacerare Dynaſtas,
Quos animum ſtudiis excoluiſſe juvat?

Cap. VIII.

Polybium à Philoſophiæ Romanæ cenſu excludi non debere.

POlybium Comitem Scipionis ex cenſu philoſophiæ Romanæ non eſt fas expungere. Nam Vallejus inquit: *Scipio tam elegans liberalium ſtudiorum, omnis doctrinæ, & auctor, & admirator fuit, ut Polybium, Panætiumque præcellentes ingenio viros domi militiæque ſecum habuerit.* Suidas autem

tem non tacet Panætium fuiſſe præceptorem Scipionis *poſt Polybium Megalopolitam*. Quibus verbis videtur Panætius Polybio poſtponi. Strabo lib. I. eum diſertè appellat philoſophum. Etſi autem Polybius de philoſophia non dicatur ſcripſiſſe libros, hiſtoriæ tamen ab ipſo exaratæ ſatis ſuperque oſtendunt, quantus in palæſtra fuerit philoſophica. In ſexto profectò libro accuratiſſime de ſpeciebus Rerumpublicarum diſputat, oſtenditque, optimam reipublicæ formam eſſe mixtam ex tribus ſuaviter temperatis Monarchia, Ariſtocratia, Democratia.

Quod Mathematica didicerit, oſtendit Tactica, quæ paſſim ſeſe exerit in ejus hiſtoriis, ut propterea putet eruditiſſimus Caſaubonus minus bene quædam loca verſa fuiſſe à Perotto, quod Tacticæ, & vocabulorum ad Tacticam facientium non eſſet peritus.

Deſcriptio quoque locorum oſtendit, quantus fuerit in Geographicis, nec ignoraſſe hiſtoriam animalium itidem hiſtorici clamant libri, qui tamen non omnes ad nos pervenerunt. Quod ſi extarent magis ac magis liceret perſpicere, quantus in philoſophico ſtudio extiterit Polybius.

Quam verò reverenter legendus, reverenter habendus, audiendusque, dum præcepta Regibus tradit Polybius, quandoquidem tam ſtudioſe audiebatur à Scipione everſore Carthaginis, quo quis unquam extitit ſapientior, & fortior? En in idem argumentum Epigramma.

O fax hiſtoriæ Polybi, Sophiæque medulla,
O Lux Æneadum, Grajugenumque nitor,

Quam merito Dux, qui vertit Carthaginis arces,
Victor & exitio Punica regna dedit,
Te ſocium aſcivit bello, ſtudiisque Magiſtrum,
Atque tuo cupidus traxit ab ore Sophos.

Cap. IX.

Memoratur Scipio Africanus ob Philoſophiam. Nec omittuntur Lælius, Furius Philoſophus, & Gallus.

O Fortunatum magni magiſtri diſcipulum Scipionem, quem nunquam vel facundiſſimus orator ſatis laudaverit. Fuit enim omni virtutum genere ad miraculum usque ornatus Scipio, addictus quoque impenſe ſtudiis bonarum artium. Qua de re dubitare nos non ſinit Cicero non uno in loco. In ſecundo libro Tuſculan. ſic loquitur: *Semper Africanus Socraticum Xenophontem in manibus habebat, cujus inprimis laudabat illud*, quod diceret, eosdem labores non eſſe æque graves Imperatori & militi, quod ipſe honos laborem leviorem faceret Imperatorum.

Idem Tullius in ſecundo de oratore narrat, Scipionem diligenter audiviſſe Carneadem, Critolaum, Diogenem, quamdiu Romæ legationis cauſa fuerunt. Verba Tullii ſunt: *Itaque eos, dum Romæ eſſent, & à ſe, & ab aliis frequenter auditos.*

Ergo gratiſſima extitit legatio Athenienſium, cum ſummos illos philoſophos miſiſſent, magnopereque iniverunt gratiam apud Scipionem, de quo idem Tullius teſtatur, *quod ſecum eruditiſſimos homines ex*

Græcia

Græcia ſemper palam habuerit. Hinc colligimus ſub Scipione valde floruiſſe Romæ philoſophiam.

Tulliano teſtimonio addenda præclariſſima verba Velleji Paterculi, ut gloria Herois Scipionis magis ac magis eluceſcat. *Scipio* tam elegans liberalium ſtudiorum omniſque doctrinæ auctor, & admirator fuit, ut Polybium, Panætiumque præcellentes ingenio viros domi, militiæque ſecum habuerit. Neque enim quiſquam hoc Scipione elegantius intervalla negotiorum otio diſpunxit, ſemperque aut belli aut pacis ſerviit artibus: ſemper inter arma, ac ſtudia verſatus aut corpus periculis, aut animum diſciplinis exercuit.

Quæres, an non aſper factus fuerit Scipio præceptis Stoicorum? Nihilminus. Sic enim Cicero orat. pro Muræna loquitur, ut dicat Scipionem oratione, & præceptis Panætii quamquam Stoica forent, aſperiorem non eſſe factum, ſed leniſſimum.

A latere Scipionis avellendi non ſunt duo ſummi viri, Romani proceres C. Lælius, & L. Furius. De Lælio ſic pro Muræna: quis vero (Lælio) *comior, quis jucundior eodem ex ſtudio* (Stoicorum) *quis illo* (Scipione) *gravior, ſapientior?* Furium autem commendat cum utroque in ſecundo de oratore his fere verbis: *Non tulit hæc civitas aut gloria clariores, aut auctoritate graviores, aut humanitate P. Africano, C. Lælio, L. Furio, qui ſecum eruditiſſimos homines ex Græcia ſemper palam habuerunt.*

In ſecundo de finibus narrat Lælium adoleſcentem audiviſſe Diogenem Stoicum, poſt autem Panæ-

tium, & ſapientem fuiſſe appellatum, quia quod eſſet ſuaviſſimum duceret.

Læli praclàre, ac rectè Sophos, Lucillius, ei opponit Lapathum & Gallonium homines guloſos. Veniebat inquit Cicero, ad cœnam, ut ſatiaret deſideria naturæ Lælius.

Addamus L. Philippum, & C. Gallum Lælio. Ipſi enim ob ſapientiam Stoicam ignoti non fuerunt, cum florerent Scipio, Læliusque, diſcere id eſt ex luculenta oratione Ciceronis pro Muræna, in qua oſtendit, neceſſe non eſſe, ut aſper ſit, & ſeverus, qui Stoam colit. Quod monitum utinam non negligerent nonnulli, qui noſtra tempeſtate triſte ſupercilium hominibus ſubinde intentant.

Cap. X.

De Senatus Conſulto, quo viſi ſunt pelli omnes philoſophi Roma, conjectura adverſus Gellium.

Mox calamitas videtur excepiſſe philoſophiam Romæ cum vix recepta videretur fuiſſe. Tam citone pœnituit Romanos ſapientiæ admiſſæ? Gellius narrat *Cajo Fannio Strabone, M. Meſſala Coſſ. Senatus conſultum de Philoſophis*, factum fuiſſe, *uti Romæ ne eſſent*. Addit ſub finem capitis: *Neque illis ſolum temporibus minus rudibus, nec dum græca doctrina expolitis philoſophi ex urbe Roma pulſi ſunt, verum etiam Domitiano imperante, ſenatusconſulto ejecti, atque urbe & Italia interdicti ſunt. Qua tempeſtate Epictetus quoque philoſophus*

propter

propter id Senatus Conſultum Roma deceſſit hæc Gellius, qui non ſimplici modo videtur premere famam Romanorum, & a tramite hiſtoricæ veritatis aberrare. Videtur enim exiſtimare omnes prorſus philoſophos diſceſſiſſe Roma, eosque non ſimpliciter monitos, ut diſcederent, ſed exilio damnatos ea ratione, qua Domitianus Tyrannus, & oſor ſapientiæ expulit ſapientiæ profeſſores.

Videntur autem poſſe confutari Gellianæ narrationis capita. Nam teſte Cicerone Scipio, Lælius, & Furius: *eruditiſſimos homines ex Græcia ſemper palam ſecum habuerunt.* Vixit autem poſt Senatusconſultum, ſive poſt conſulatum Fannii, & Meſſalæ Scipio, quod facile quivis ex factis conſularibus perſpicere poteſt, cum ejuſmodi conſulatus inciderit in annum ab VC. Iↄxcii. Ergo non bene dixit Gellius univerſim philoſophos pulſos Roma.

Quis etiam credat legatos frequenter auditos a Scipione, Lælio, Furio ſumma auctoritate præditis exilio mulctari potuiſſe? Nonne tanti viri repugnaſſent, & in os contradixiſſent Catoni, qui certe Romæ non omnia poterat? Nonne hoc fuiſſet dedecore, & injuria afficere amiciſſimam urbem Athenarum, quæ ſemper fuit ſedes ſapientiæ? legimus porro apud Plutarchum in vita Catonis Cenſorii Carneadem Academicum, & Diogenem Stoicum legatos Athenienſium veniſſe Romam. Tunc facile ſua eloquentia, & comitate adoleſcentes [illegible]exerunt, quod cum perſpexiſſet Cato, perſuaſit Senatui, ut juberet duos philoſophos redire in Græciam ad docendos juvenes. Etenim ipſe omnem Græcam do-

 ctrinam,

ctrinam, quantum in ipſo erat inſectabatur. Socratem certe loquacem, & violentum hominem vocabat, qui cum in patria ſua plus poſſe, quam leges paterentur, affectaret, priſcos mores ac veteres conſuetudines antiquare, civesque ſuos ad contrarias priſtinis inſtitutis opiniones traducere molitus eſt. Ipſe interim Nearcho Pythagoræo philoſopho cum junior eſſet hoſpite familiariter uſus eſt non Romæ, ſed Tarenti.

Ex qua quidem narratione videmur poſſe colligere à Senatu monitos Carneadem, & Diogenem ne diutius hærerent Romæ, ſed expedita legatione ſe conferrent in patriam. Neque enim apud veteres mores erat habere perpetuos legatos. Ergo non odio præcipue philoſophiæ videntur dimiſſi, ſed quod præter morem legatorum ſe gerendo nimis diligenter ad ſe allicerent Romanam juventutem, eamque à malitia & civilibus negotiis avocarent. Certe ante legationem iſtam fuiſſe alios Romæ philoſophos videtur teſtari Plutarchus, dum inquit: *Cato ſecum ſtatuit, univerſos Philoſophos honeſtatis ſpecie Roma dimitti. Verebatur, ne ad humanitatem converſa juventus, ſic diſcendi laude duceretur, ut rerum gerendarum, ac militiæ gloriam contemneret.*

Sed inquies, ſaltem fatetur Plutarchus omnes omnino Philoſophos dimiſſos. Reſpondeo, ſic quidem cenſere, ſed id vix potuiſſe ex præcedenti narratione deduci. An enim quia moniti ſunt legati, ut diſcederent Athenas, exilio maculati ſunt omnes?

Quod

Quod ſi cui lubeat exiſtimare Senatusconſulto prohibitos fuiſſe omnes prorſus philoſophos eſſe Romæ, ſentiat ſane ut vult, dummodo quæ protuli non prorſus extra lineas veriſimilitudinis vagari, fateatur.

CAP. XI.

De Carneadis incredibili doctrina. Attingitur ſucceſſio ſcholæ Arceſileæ.

SIve expulſus fuerit Roma, ſive honorifice dimiſſus Carneades, adhuc memorandus licet Roma profectus, cum ejus non ſemel facta ſit mentio a Cicerone, & cognoſci mereatur ab eo, qui de philoſophiæ apud Romanos ſtatu diſſerere cupit haud tralatitia ratione. Memoria enim repetendum eſt, Arceſilam acumine ingenii, & admirabili dicendi lepore fretum cœpiſſe Zenonem contemnere, quod putaret, vix quicquam novi ab ipſo depromi. Etſi autem Academiæ nomen lubenter uſurparet, & frequenter ſummorum philoſophorum dicta in ore haberet, conabatur tamen claritati tenebras offundere, omniaque ſurſum deorſum vertere, ut nihil ſtabile fixumque foret. Hinc emerſit Arceſilæa ſchola à vetuſtate Academiæ veteris diſcedens ob turbidam ambiguitatem. Arceſilam porro audivit Lacydes, & proxime ejus tenuit exedram. Lacydem excepit Evander, poſt Evandrum floruit Egeſimus, ab Egeſimo inſtitutus, & eruditus eſt Carneades, qui ipſos nonaginta vixit annos. Tam diuturnum fuit Arceſileæ ambiguitatis fulcrum. Munivit autem

ſeſe Carneades innumeris voluminibus Chryſippi, quem legebat, & relegebat, gratitudinem ſuam profeſſus his verbis: Si Chryſippus non eſſet, Carneades non eſſet. Ejus erat vox prorſus reſonans, qua implebat cathedram. In diſputando adeo erat acer, tamque promptus, & eloquens, ut quisquam ejus poſſet ferre conſpectum. Ea propter non ibat ad cœnas, ne cuiquam ſua moleſtus eſſet præſentia. Adde Philoſophis diſplicuiſſe admodum Carneadis inſtitutum, quód omnia ambiguitati ſubjiceret, quæ opinio contemptui ſapientiam exponebat. Quis enim labores exantlet, ut ſciat id, quod ſcire nequit? quis operam philoſophorum magnifaciat, ſi quicquid pollicetur, id totum ambiguum incertumque eſt. Ipſe tamen Carneades valde placebat, cum ſua eloquentia, ſuaque copia homines in admirationem raperet. Non ſolum autem dicendo, ſed & ſcribendo, & libros emittendo fulcivit exedram. Quin & ſuæ ſectæ reliquit cum moreretur ſucceſſorem Clitomachum, qui, & ipſe non paucos reliquit de philoſophia libros. Quid memorem Melanthii Rhodii ſuavitatem? Clitomacho diu operam dedit Philo, quo ſuperſtite Carneadis doctrina non vacillavit, fuit enim Philo, & doctiſſimus, & eloquentiſſimus. Sed a Carneade digredi auſus eſt Antiochus Aſcalonita, adque antiquitatem academicam regredi, qua de re aliquid inferius, ſuo loco attingam. Fas autem non eſt Carneadem abſque carmine, levi ſane, & brevi dimittere. Id hujusmodi eſt.

Horridus ut miles pugnando fertur in hoſtem,
Et ferit aſſultans, perterebratque caput;

Sic

Sic tua, Carneades, neſcit conſiſtere virtus.
Quin celer adverſam conterit usque aciem,
Et Sophien vexat, perrumpens dicta Platonis,
Mentibus obrepit dum novitatis amor.

Cap. XII.

De Diogene Stoico legato ad Romanos plura. Expenditur quoddam dogma Stoicorum de Deo, & rejicitur.

Recte facit, qui Carneadem à Diogene dividit, & ſi aliquis poſſit exiſtimare utrumque fuiſſe Stoicum, cum legere fas ſit apud hiſtoricos inprimis Chryſippeos libros placuiſſe Carneadi. At ambigendum non eſt Stoicum prorſus & ex tota animi ſententia ſecutum Stoam Diogenem, Carneadem autem liberius indulſiſſe opinionum varietati. Putarunt quidem Romani Carneadem non minus, quam Diogenem Zenoniæ porticus eſſe ſectatorem. Verum ipſe Carneades libere profeſſus eſt, ſe nequaquam Stoicorum admirandis paradoxis addictum eſſe, qua de re nemo poteſt dubitare, qui legerit academicarum quæſtionum librum ſecundum. Narrat namque Cicero A. Albinum Romanum, qui conſul fuit & Prætor, cum legati ad Senatum in Capitolio ſtarent, jocantem dixiſſe Carneadi: ego tibi Carneade Prætor eſſe non videor, quia ſapiens non ſum, nec hæc urbs, nec in ea civitas. Cui reſpondit Carneades: *Huic* (ſcilicet Diogeni) *Stoico non videris*, quibus verbis ſe a ſecta Stoicorum diſcedere teſtatus eſt Carneades, neque cum Diogene ſentire,

 quæ

quæ narratio etiam indicat, qualis fuit Albinus Conſul & Prætor, doctus ſcilicet homo, ut ibidem tradit Cicero, atque adeo a philoſophico Romanorum theatro non excludendus. At, inquies, ipſe dixit ſe ſapientem non eſſe, hoc eſt, non eſſe philoſophum. Reſpondere licet, eum jocando dixiſſe ſe non eſſe ſapientem, quod non videretur eſſe ſapiens Diogeni, qui forte ſolos proceres Stoæ exiſtimabat eſſe ſapientes.

Cum autem Diogenis inter Stoicos clarum ſit nomen, hic non poſſum non promere palmare Stoicorum dogma de origine mundi. Pronunciarunt namque Stoici, quod eſt apud Tullium hunc mundum eſſe ſapientem, habere mentem, quæ & ſe & ipſum fabricata ſit, & omnia moderetur, moveat, regat.

Dices, quam abſurdum eſt dicere, mundum ſeipſum feciſſe. An quiſquam ſeipſum fabricari poteſt? exponunt ſuam ſententiam Stoici, dum dicunt, mundum eſſe quodammodo conflatum ex Deo & materia. Deum enim increatum, ad increatam, ſed rudem & indigeſtam materiam acceſſiſſe, & architectatum hanc molem. Putant autem iidem Stoici, commixtum eſſe Deum materiæ, ut forma commiſcetur apud Ariſtotelem materiæ. Sic enim explicat dogma Stoicorum Alexander Aphrodiſæus in libro de mixtione, aitque ipſos *duo omnium rerum primordia* eſſe, aſſerere materiam, & Deum, quorum alterum agere, pati alteram. Immixtum materiæ eſſe Deum affirmant, perque eam univerſam pertranſire, ipſamque figurare, formare, atque hoc modo

do

do exornare. Quis autem ſibi patiatur perſuaderi, Deum, cum liber eſſet ab omni concretione mortali, voluiſſe ſe talibus vinculis ultro inſerere & implicare? ſed vide, quæ conſequantur, ſi pergas reciprocare ſerram contentionis. Nam ajunt, Deum eſſe corpus, intelligere tamen. An igitur proprium eſt corporeæ naturæ intelligere? An etiam corpus cum corpore ſic coaleſcit, ut penetratum impleat? An Deus corpus eſt ſubtiliſſimarum partium? ſed quid Deo fiet commixto, quando tota moles conflagrabit? an ipſe, an Sol, Luna, Stellæ omnes, Terra, quæ intelligentia juxta Stoam non deſtituuntur, in flammas abibunt? Cicero namque de iisdem Stoicis ait: *fore tamen aliquando* (dicunt) *ut omnis hic mundus deflagret.* Sed tales ſententiæ Divinitati, & Deo nequaquam concinentes miſſæ fiant cum Stoico Diogene, abſurdæ prorſus ſint, & riſu potius quam confutatione dignæ.

Cap. XIII.

Nonnulla de Critolao proferuntur. Attingitur ſucceſſio in ſchola peripatetica, & aliquid ex ea non parvi momenti colligitur.

Si diximus Carneadem, ſi Diogenem, non ſilentio excipiemus Critolaum, quem celebrem reddidit non ſola ad Romanos legatio, ſed forte magis ſucceſſio in ſchola peripatetica. Rexit, inquam, Cathedram Ariſtotelis, & peripatum tenuit Cri-

Critolaus, præſtantiſſimus abſque dubio in eo philoſophiæ genere. Nec enim deficit dogma Ariſtoteleum moriente Ariſtotele, ſucceſſit ei Theophraſtus. Theophraſtum excepit Strato, qui ſe phyſicum voluit appellari. Poſt Stratonem docuit Lycon, aut Glycon. Deinceps rexit ſcholam Peripateticam Ariſto ex Ceo. Ariſtonis vocem intermori non eſt paſſus Critolaus Phaſelites, quod comprobare licet teſtimonio Plutarchi in libro de exilio. Adde Clementem Alexandrinum in primo Stromateon, dum ſcribit: *Apud Platonem philoſophatus Ariſtoteles, ei ſuccedit Theophraſtus, cui Strato, cui Lycon, deinde Critolaus, deinde Diodorus.* Hæc ille. In qua tamen recenſione ex Plutarcho non eſt omittendus Ariſto. Nec caruit ſubſecutis temporibus Peripatus profeſſore præcipuo, quod hic deducere non eſt opus, cum non agamus hic de philoſophia apud Athenienſes, ſed apud Romanos.

Lubenter autem attigi ejusmodi ſucceſſionem, ut intelligamus dogmata ſemel ſancita a Præceptore in peripato retenta fuiſſe, & deinceps veluti lampada ſucceſſoribus, junioribusque tradita. Sed dolendum, ſcripta antiquiſſimorum Peripateticorum ad nos non perveniſſe, præter quædam Theophraſti, & Andronici Rhodii paraphraſin in libros Moralium. Licet Theophraſti non pauca reperiantur fragmenta apud varios ſcriptores. At defectus ejusmodi ſuppleri poteſt ex operibus Alexandri Aphrodiſienſis. Nam abſque dubio, quæ tradidit in ſuis libris ex ſententia Ariſtotelis, a Magiſtris docentibus in peripato accepit tanquam germana ſummi Magiſtri dictata.

dictata. Oportet enim ſcholam peripateticam, ſi peripatetica voluit dici, noluitque cum Academia Platonis & Zenonis Stoa confundi, habuiſſe ſemper, & palam defendiſſe ſuas peculiares opiniones, traditas a fundatore Cathedræ. Hinc ambigendum non eſt, Alexandrum paulo ante memoratum mandaſſe literarum monumentis, quæ conſentanea audiverat eſſe menti Ariſtoteleæ.

Quod cum ita ſit, quam putandus eſt eſſe infelix labor quorundam recentiorum, qui Peripato addictiſſimos ſe eſſe profitentur, interim magnis editis voluminibus in Alexandreas invehuntur interpretationes, & in explicando Ariſtotele gloriantur ſe ab ipſo diſcedere, dicuntque millies ſtudioſis ſe longe melius indagaſſe, & litteris mandaſſe ſenſum Ariſtotelis, quam indagaverit Alexander Aphrodiſienſis, præ omnibus peripateticis, excepto Theophraſto, & Andronico, antiquus, ſiquidem loquamur de iis, quorum opera ad nos pervenerunt. Qua in re mihi profecto videntur imitari novos Gnoſticos, noſtri temporis Sectarios. Interpretantur ipſi Prophetarum & Apoſtolorum monumenta, eisque novos, & miros indunt ſenſus. Nos Catholici jure merito tales rejicimus expoſitiones. Nam ſumimus in manus antiquorum Sanctorum Antiſtitum volumina, quæ reliquerunt de rebus Sacris. Diſcimus ex illis, qua ratione intelligi debeant dicta Sanctorum Prophetarum, & Apoſtolorum, & ipſis plenam habemus fidem. Cur ita? quia ipſi non fuerunt valde remoti a tempore Apoſtolorum, & ex viva voce Apoſtolicorum virorum audiverunt, quid ſibi voluerint Sanctiſſimi

Apo-

Apoſtoli in ſuis ſcriptis. Infeliciter itaque, imo peſſime collocant ſuam operam Novatores, quando aliter exponunt dicta Apoſtolica, quam expoſuerint veteres Eccleſiæ Sanctiſſimi & doctiſſimi Patres. Male etiam cenſendi ſunt mereri de Peripato, qui Peripati palmaria dogmata non ſumunt ab Alexandro, ſed quidlibet excogitant, ut ad ſua ſomnia miſerum torqueant Ariſtotelem, cui ſi liceret caput tollere, audireque tales Interpretes, clamaret: Nunquam hæc, quæ vos nugivenduli mihi impingitis, mandavi litteris. Nolite torquere mea dicta. Silete, aut cum antiquis Interpretibus, qualis profecto eſt Alexander, loquimini.

Quæ dum profero, non propterea aſſero vera eſſe, quæ Alexander dixit, cum aliud ſit (quod cogor toties repetere) dicere quid ſenſerit Ariſtoteles, aliud, quid veritati ipſi ſit conſentaneum. Ego certe jam pridem in meo opere de Ariſtoteleo Veterum contemptu edito hic Piſis anno MDCXLI. & in mea Cleopatra evulgata præteritis menſibus, ſatis ſuperque expoſui, quam non ſim addictus Peripato, nec juraverim in verba Lycei.

Sed poſt digreſſionem forte nimis prolixam, revertatur ad Critolaum oratio.

Eum laudat impenſe Clemens Alexandrinus de ſummo bono quando agitur, aitque voluiſſe imitari antiquos, & eſſe valde gravem, & manere in inſtitutis patriis, non autem tam bene ſe geſſiſſe Diodorum ejus diſcipulum & ſucceſſorem.

Cicero in V. Tuſculan. obſervat impenſe laudata fuiſſe à Critolao bona animi, de felicitate, & ſummo bono,

bono quando agitur. Etenim in alteram lancem animi bona, in alteram corporis, & externa impoſuit, tantumque propendere illam boni lancem putavit, ut terram & maria deprimat. Sic viſus eſt Xenocratem graviſſimum Philoſophum, ſed nequaquam Peripateticum imitari in exaggerenda tantopere virtute, extenuandisque cæteris & abjiciendis, inque virtute non modo beatam, ſed etiam beatiſſimam ponere vitam.

Hæc hactenus de Critolao, qui miſſus Romam, Romæque aliquamdiu moratus, philoſophatusque attente, & ſumma cum voluptate audientibus Quiritibus ad philoſophiam profecto non parum facit Romanam, dignus, qui ejusmodi dimittatur carmine.

Auribus haurires ſi nunc Critolæ, recentum
Dicta Magiſtrorum, quos levis aura vehit,
Qua voce exciperes jactantes ſcita Lycei,
Jactantes nomen, dogmaque Ariſtotelis?
Acri bile tumens clamares: comprime linguam
Vulgus inops veri, turbida turba ſile.
Quin audi veteres, fundentes ore loquelas,
Quales Andronici, cum ſupereſſet, erant.
Quales ſuaviloqui reddebant ſepta Lyconis,
Pulpita Alexandri, pegmata Ariſtotelis.
Nam quæ vos pueris tumidum torquetis in orbem,
Excipit Æolius turbo, celerque Notus.

Cap. XIV.

Veteres Romanos caruiſſe Rhetoribus, eosdem pulſos urbe. Cur inutiles viſi?

Cum philoſophia dividatur ſecundum graviſſimos ſcriptores in ſermonitricem, ſive logicam, in Naturalem, & Moralem, & ſermonitricis pars non exigua ſit Rhetorica, Rhetores non ſunt prætereundi, quando de philoſophiæ ſtatu apud Romanos agitur. Etenim dubium non eſt antiquis temporibus non fuiſſe Romæ Rhetores, quod colligere eſt ex Suetonio de Claris Rhetoribus. Nam aliquot annis poſt C. Fannii Strabonis, Valeriique Meſſalæ Conſulatum juſſi ſunt urbe diſcedere appellati novum genus hominum. Sic loquitur Gellius lib. 15. cap. XI. *Cn. Domitius Ænobarbus, & L. Licinius Craſſus Cenſores de coërcendis Rhetoribus, Latinis ita edixerunt: Renunciatum eſt, nobis eſſe homines, qui novum genus diſciplinæ inſtituerunt: quod in ludum conveniat: eos ſibi nomen impoſuiſſe latinos Rhetores; ibi homines adoleſcentulos dies totos deſidere Majores noſtri, qui liberos ſuos diſcere, & quos in ludos itare vellent, inſtituerunt. Hæc nova, quæ præter conſuetudinem, ac majorum morem fiunt, neque placent, neque recta videntur. Quapropter & iis, qui eos ludos habent, & iis, qui eo venire conſueverunt, viſum eſt faciendum, ut oſtenderemus noſtram ſententiam, nobis non placere.* Eadem prorſus recitantur à Suetonio in principio libelli de Claris Rhetoribus, apud quem etiam continetur Senatus Conſultum factum eandem in rem C. Fannio Strabone, & M. Valerio Meſſala

Meſſala inſtigator præcipuus Senatus fuit absque dubio Cato Cenſorius, de quo Plutarchus in ejus vita: *In Iſocratem invectus, ejus in ſchola diſcipulos conſeneſcere ajebat, ut apud inferos cauſas, quas in fidem ſuam recepiſſent, patrocinio tuerentur.* Idem ad argumentum referendum eſt, quod legitur apud Quintilianum de Clar. orat. *Rhetoras paulo ante Ciceronis tempora extitiſſe, nec placuiſſe majoribus noſtris ex eo manifeſtum eſt, & Marco Craſſo, & Domitio Cenſoribus cludere, ut ait Cicero, ludum impudentiæ juſſi ſunt.* Sed paulatim ut ait Suetonius, Rhetorica utilis honeſtaque apparuit, multique *eam præſidii cauſa & gloriæ appetiverunt.* Repetitæ tamen ſunt quærelæ adverſus Rhetoras, quod non prodeſſent adoleſcentibus, ſub Nerone a Petronio, ſub Domitiano, aut Trajano a Quintiliano. Petronius ita: *Ego adoleſcentulos exiſtimo in ſcholis ſtultiſſimos fieri, quia nihil ex iis, quæ in uſu habemus aut audiunt, aut vident.* Quintilianus autem: *Adoleſcentuli noſtri deducuntur in ſcenas Scholaſticorum, qui Rhetores vocantur. Sic fit, ut tyrannicidarum præmia, peſtilentiæ remedia, aut quicquid in ſchola quotidie agitur, in foro raro vel nunquam, ingentibus verbis proſequantur.*

CAP. XV.

De Q. Tuberone ex nobiliſſima familia philoſopho Stoico ſimul, & Juris-Conſulto.

Catonianum ſupercilium non putavit contra philoſophos probandum Q. Tubero, cujus familia laudatiſſima fuit, licet tenuitati rei

familiaris involuta. Refert ſiquidem Plutarchus in Paulo Æmilio Elium Tuberonem virum optimum fuiſſe tam tenui patrimonio, ut ſexdecim ex Tuberonum familia, in unis ædibus, & quidem modicis cum conjugibus & liberis habitarent. Quintus autem ex præclariſſima ortus familia ſic appulit animum ad Stoicam Philoſophiam, ut mirificos in ea fecerit progreſſus. Nam Cicero in oratione pro Muræna nunc, *eruditum virum ex ſtudio Stoico*, mox *eruditiſſimum* appellat. Inclaruiſſe autem ob ejusmodi eruditionem ſatis conſtat ex Tacito, in XVI. Annal. dum inquit: *Iſta Secta* (Stoica) *Tuberones & Favonios veteri quoque Reipublicæ ingrata nomina genuit*. Cum præſertim ea etiam de cauſa fulgeret nobilitate, quod haberet matrem Sororem Africani. Cum autem ſeveritatem Stoicam præ ſe ferret, atque etiam paupertati ab ineunte ætate eſſet aſſuetus, peccavit in dando epulo, & gravi ſe reddidit reprehenſioni obnoxium. Rogatus ſcilicet a Maximo, cum epulum dare vellet populo nomine patrui ſui Africani, ut triclinium ſterneret. *Stravit pelliculis* hœdinis lectulos punicanos, & expoſuit vaſa Samia. Quaſi Diogenes Cynicus eſſet mortuus, & non divini hominis Africani mors honeſtaretur. Hujus ergo in morte celebranda graviter tulit populus Romanus perverſam ſapientiam Tuberonis, itaque homo integerrimus civis optimus, cum eſſet L. Pauli nepos, Publii Africani ſororis filius, his hœdinis pelliculis prætura dejectus eſt. Intempeſtiva ergo parſimonia, & frugalitas Tuberonis ſatis ſuperque docet peccare philoſophos, qui putant publicos imperiorum Re-

rum-

rumpublicarumque mores poſſe, & debere exigi ad paupertinam vivendi rationem, quæ obſervatur in cœtibus quibusdam philoſophicarum ſectarum, qui ſe certis legibus, cum non ita multi ſint, addixerunt. At quando regendæ ſunt integræ nationes multum cogimur tribuere communi hominum propenſioni, & conſuetudini inveteratæ, quam ſi velis ſupprimere, eodem Marte totam civitatem confundes, & permiſcebis. Sed ad Tuberonem revertamur. Is a Gellio dicitur fuiſſe antiſtes juris civilis & Stoicæ doctrinæ Sectator. Rara eſt gloria ejus hominis, qui geminam ſimul calleat diſciplinam, qualis fuit noſtra tempeſtate Huberti Giſanii & Julii Pacii, qui de philoſophia pariter & Jurisprudentia ſcribendo bene potuerunt, & voluerunt mereri. Plebeji tamen Jurisconſulti tunc putant ſe excellere Juris ſcientia, quando omnis eruditionis, omnisque philoſophiæ fuerint expertes, idque palam præ ſe quoque tulerint. Lubet autem in puſillos Juris interpretes, qui contemnunt philoſophiam ſic ludere:

Stoica deprompſit felici dogmata niſu
Tubero, Romuleæ lausque decusque togæ.
Quin bis ſex tabulas perfudit luminis aura,
Et reſponſa dedit clarus utroque foro.
I nunc qui Sophien temnis, chartasque Sophorum,
Cerneque num Themidos templa ſubire queas?

Cap. XVI.

De L. Craſſo, de Scævola, de Sex. Pompejo, qui Philoſophos audiverunt.

SIcco pede non pertranſibit oratio L. Craſſum, quandoquidem ejus ita Cicero in primo de oratore meminit, ut dicat, cum quæſtor ex Macedonia veniret, vidiſſe Carneadem, Clitomachum, Æſchinem, Metrodorum, qui fuit auditor Carneadis, Mneſarchum diſcipulum Panætii, Critolaum & Diodorum Peripateticos, aliosque. Attigit absque dubio Craſſus aliquid ex Philoſophia excitatus exemplo tantorum philoſophorum, ex quorum ore poterat ſaluberrima haurire præcepta. Impellente profecto uno ex cœtu Platonis legit Georgiam, ex quo intellexit Oratorem non debere redigi ad conciunculas, & a Republica abſtinere. Certe eloquentiſſimus quisque RomæRempublicam ſua promovit opera, notus eſt Hortenſius, clarus Servius Sulpitius, clariſſimus omnium Cicero. Non dubitavit autem Craſſus, quod veritati erat conſentaneum tueri adverſus philoſophos, oſtendereque malle ſecum Platone divino viro ſentire.

Craſſo adjungendus magnus ille Scævola, quem in primo de Oratore narrat Cicero audiviſſe Panætium, a quo ſine dubio non pauca hauſit, quibus Jurisprudentiam locupletaret, ut excellebat ipſe tali peritia. Idem cum Apollonio Oratore Rhodi diſputavit. Is Apollonius mercede docebat.

Scævolæ addere lubet inter Romanos Sex. Pompejum; quem eruditum fuiſſe in Philoſophia non poſſumus dubitare, dum eundem Ciceronis evolvimus Oratorem.

CAP.

CAP. XVII.

Libere tandem Romæ admiſſam fuiſſe philoſophiam. Eam non repugnare imperio.

JUſſerint Romani libere in urbe ſua Rhetores, aut etiam non eſſe philoſophos, dum ſecutis temporibus, elegantiores, mitioresque facti eos receperint, foverint, coluerint. Viciſſitudinem moribus hominum quis detrahat? quales fuerint Germani olim non ſinit nos ignorare Tacitus, quales poſtea evaſerint, qualesque hodie ſint ſcimus. Qui olim arcana literarum prorſus neſciebant, frequentes inſtituerunt Academias velificante illis Pio ſecundo ſummo Pontifice, nationis invictæ ſtudioſiſſimo. Ergo mirum non eſt, ſi non ſemper iidem fuerint Romanorum mores, ſed progrediente tempore auctoque imperio, extraque ipſam Italiam porrecto, à ruditate vitæ difficilis, & militaris diſceſſerint, & qui olim tantum fictilibus vaſis utebantur, cœperint habere magnum ſupellectilis argenteæ, imo aureæ apparatum. Gloriatus profecto eſt Imperator ſe urbem, quam inveniſſet ligneam, relinquere marmoream. Qualia ſurrexerunt theatra, qualia templa, quæ moles amphitheatri excepit ſpectatores, cum olim tenuia forent, imo rudia pleraque ædificia. Audire lubet diſertiſſimum Poëtam de ſplendore Romano, qualis erat cum ſcriberet, ſcribentem gaudentemque, quod Roma deſierit eſſe rudis.

Simplicitas rudis ante fuit, nunc aurea Roma eſt,
Et magnas domiti poſſidet orbis opes.

Aſpice quæ nunc ſunt Capitolia quæque fuerunt,
Alterius dices illa fuiſſe ducis.
Curia conſilii nunc eſt digniſſima tanti,
De ſtipula Tatio regna tenente fuit.
Quæ nunc ſub Phœbo, Ducibusque palatia fulgent,
Quid niſi araturis paſcua bobus erant?
Priſca juvent alios: ego nunc me denique natum
Gratulor, hæc ætas moribus apta meis.
Sed quia cultus adeſt, nec noſtros manſit in annos
Ruſticitas, priſcis illa ſuperſtes avis.

Si objicias, apud Plutarchum referri Catonem prædixiſſe tunc imperio ſpoliandam urbem, cum ſe græcis litteris dediſſent, reſpondere fas erit cum eodem graviſſimo hiſtorico: *Hæc maledicta falſa fuiſſe, conſequens tempus docuit, in quo civitas floruit omni commendatione humanitatis græcarum diſciplinarum.* Arabes victricia cum Ægypto inferrent arma, Ariſtotelem, Galenum, Ptolomæum juſſerunt ex Græco ſermone in Arabicam linguam transferri, & doceri palam in ſcholis. An propterea imperium amiſerunt? imo id auxerunt adque alia regna porrexerunt, effeceruntque, ut & nationes Europeæ Ariſtotelem tanquam redivivum viderint, & expoſuerint. Philoſophiæ, græcarumque litterarum laude florent Galli hac tempeſtate. An ideo carent ſceptro? imo magni ubique fiunt ob armorum gloriam, nec tantum ſua tuentur, ſed & aliis non parum exhibent negotii. Quid Batavos referam, qui cum fundamenta jacerent Reipublicæ, Academiam Lugduno Batavam inſtituerunt.

Quod

Quod ſi quis pergat eſſe moleſtus, Senatusconſultum ingerat Romanorum adverſus Philoſophicum cœtum, cum Stoico Seneca dicam, Urbem, quæ damnavit Philoſophiam, in ſinu ſuo perquam ſuaviter fovifſe, imo ſuſpexiſſe Apicium, culinariam artem profitentem, docentemque, qua ratione patrimonia per gulam abliguriri poſſint.

CAP. XVIII.

Eloquentiæ comparandæ cauſa Romanos amplexos philoſophiam. Conqueritur auctor de neglecta Philoſophia Platonis.

PRæcedenti diſſertatiuncula cum in genere docuerimus, pleno favore Romæ tandem admiſſam exceptamque philoſophiam, nunc ſigillatim aliqua cauſa indicanda, quæ animos impulerit Romanorum ad excolenda ſapientiæ ſtudia. Fatebantur omnes re ipſa clamante indigere eloquentiæ ſubſidio omnes eos, qui ad populum loqui vellent, & in ſenatu tueri ſententiam, qui defendendis cauſis inclareſcere cuperent hoc cum exploratum apud omnes eſſet, extraque omnem aleam controverſiæ poſitum ſponte videbatur conſequi, ut qui facundus cuperet exiſtere, à philoſophis pulcherrimarum rerum cognitionem, copiamque peteret. Quam enim docte, quam acute non ſolum de natura rerum, ſed etiam de moribus hominum, de virtute, de officiis diſſerunt. Hinc adeo factum eſt, ut qui cauſas agere vellent, perque honorum gradus in lucem evadere apud Quirites deſiderarent,

ut certe honeſtiſſimus quiſque cupiebat, non tantum Juris Civilis ſtudio incumberent, verum etiam ad philoſophos ſe conferrent, eorumque doctrinis animum excolerent. Fruſtra namque diſertus eſſe vult, qui Socraticas non inſpexit chartas, ſi ſolis Rhetoribus vacavit. Clamat enim vero Cicero in primo de oratore: *Neminem eſſe in Oratorum numero habendum, qui non ſit omnibus artibus, quæ ſunt homine digna libero perpolitus.* Alibi teſtatur diſerte, quantum deberet philoſophiæ, dum ait: *Quicquid in eloquentia effecerit, id ſe non Rhetorum, ſed Academiæ ſpatiis conſecutum.* Academiam, ut vides, nominat, hoc eſt exedram Platonis, Socraticamque umbram, non Stoam, non Lyceum, non hortos Epicuri. Quantum enim doctrinæ reperitur in libris Platonicis, qua quis ad facundiæ templum pertingere queat. Quis autem adminiculo philoſophiæ Peripateticæ, quæ ſicca eſt & exſanguis, inter diſertos meruit collocari? paucos licebit in cenſum deducere. Adeo Ariſtoteles ſapit ſcholaſticam concertationem, & umbraticos decet homines. Sed Plato in lucem profert ſuos diſcipulos, quos munit multiplici atque eleganti ſcientia, valde ad vitam civilem faciente. Quo magis dolendum eſt, nos hodie uni Ariſtoteli incumbere, unum Stagiritam admirari. Non ita ſenſerunt, nec delirarunt antiquæ ætates, quæ diſertiſſimos in ſenatu, in foro dederunt Oratores. Noſtri autem, qui facundi volunt videri, quam jejuni ſunt, quam rerum inopes, longeque infra ſubſellia antiquorum conſiſtentes. Repetatur Plato, agnoſcatur

ſcatur Socrates, & priſtina nos inviſet Suada, digna cui omnes eruditi obviis occurrant manibus.

CAP. XIX.

Lucullum Proceribus Romanis præiviſſe exemplo prorſus illuſtri ad fovendam philoſophiam. Agitur de Antiocho, & Philone.

SI excluſæ ab urbe Roma philoſophiæ dica ſcribitur Catoni, Lucullus præ omnibus ut reciperetur ſuo exemplo effecit, primusque juſſit triumphare ſapientiam, poſtquam ipſe feliciter in Aſia adverſus Mithridatem arma tractaſſet. Floruit ipſe Romæ circa annum IↃCLXX. cum Senatusconſultum contra philoſophos factum fuiſſet anno ab VC. IↃLXV. Credibile autem eſt mortuo Catone, mox græcorum aliquos in urbem rediiſſe, paulatimque cœpiſſe evaneſcere Senatus-Conſultum. Nam absque dubio multis Romanis permoleſte accidit philoſophos excludi, ſub quibus adoleſcentes poſſent proficere. Audiamus Plutarchum in vita Catonis Cenſorii. *Cæteris Romanis jucundum ſpectaculum erat* (cum juvenes cum admiratione audirent Carneadem) *quando plures adoleſcentes optimis græcis artibus erudiri, & cum ſpectatiſſimis viris verſari cernerent.* Sed quicquid ſit de hac re, ſatis conſtat tempore Luculli multos græcos philoſophos Romæ libere vixiſſe. *Sic enim ſcriptor vitæ Lucullea Plutarchus: Studioſo cuique, & bibliothecæ, & quæ circa eas erant ſcholæ, atque deambulacra libere perpetuoque patebant, quo ſe Græci, cum per otium licuiſſet, conferre ſolebant, ibi loquendo,*

legendo, diſputando diem jucunde terebant. Et Lucullus plerumque, ubi eruditiſſimos viros diſputare vidiſſet, eo potiſſimum ſe ingerebat. Neque enim primoribus labris deguſtaverat philoſophicos fontes, quin pleno ore hauſerat fluenta doctrinarum, nec paucis philoſophandum ſibi putabat, ut ille Neoptolemus apud Ennium, ſed multis. Audiamus Ciceronem in principio Quæſt. Acad. de Lucullo loquentem: *majore ſtudio philoſophiæ deditus fuit quam qui illum ignorabant, arbitrabantur.* Non ineunte ætate ſolum, ſed & pro Quæſtore aliquot annos, & in ipſo bello, in quo ita magna rei militaris occupatio eſſe ſolet, ut non multum Imperatori ſub ipſis pellibus otii relinquatur. Cum autem è philoſophis ingenio, ſcientiaque putaretur Antiochus Philonis auditor excellere, eum ſecum, & quæſtor habuit, & poſt aliquot annos Imperator. Tuetur porro Cicero Lucullum exemplo Scipionis, qui in nobili legatione ante Cenſuram obita Panætium unum omnino comitem habuit. Rurſus Plutarchus ait Lucullum feciſſe ſocium ſuæ vitæ Antiochum Aſcalonitam ſummo ſtudio in amicitiam tractum hominem eruditiſſimum, eloquentiſſimumque, ſeque Philonis auditoribus oppoſuiſſe, veteremque Academiam complexum, ſpreta nova, quæ tamen Carneadis ſcriptis, & Philonis doctrina fulciebatur nitebaturque, ut etiam cum de Carneade egimus non ſiluimus.

Si dicas, Antiochum fuiſſe Philonis auditorem, atque adeo inhærendo veſtigiis magiſtri videri tutatum Arceſileæam ſcholam, dogmataque Carneadis, reſponderim, procul dubio Antiochum deſciviſſe ab opinio-

opinionibus ſui præceptoris, contemptaque novitate, quam invexerat Arceſilas, & munierat Carneades, ad vetuſtatem Academicam Platonis voluiſſe reverti. Novum porro non eſt a diſcipulis deſeri Magiſtros.

Etſi autem animo eſſet conjunctiſſimus Ciceroni Lucullus,ſtabat tamen à veteri Schola contra novam, quam propugnabat Cicero, ut verum ſit fas eſſe de duabus rebus aliter atque aliter ſentire ſalva amicitia. At ſecula noſtra factionibus miſerandis obnoxia ſunt. Nunc gloriæ Luculleæ his verſiculis applaudamus.

Differat immenſum Phœbeja penna per orbem
Luculli imperium,belligeramque manum.
Quin varium quicunque ſophos clarantque coluntque
Luculli memores inclyta geſta canant.
Ejus enim auſpiciis Sapientia crevit in urbe,
Cæpit & Actæos Roma fovere viros.

CAP. XX.

De Tyrannione, qui captivus ductus eſt Romam à Lucullo.

TYrannion Emiſenus, prius Theophraſtus poſterius Tyrannion mutato nomine dictus eſt: quod æquales, qui in eodem ſecum ludo erudiebantur, vexaret, moleſtaretque captus fuit à Lucullo, Romæque in magnis divitiis vivens, poſſedit ſupra tres librorum myriadas. Sic quidemſcribit Heſychius Illuſtrius in libello de philoſophis.

Nomen

Nomen Tyrannionis ei impoſitum eſt ab Heſtiæo Amiſeno Præceptore, quod exagitaret condiſcipulos, ut narrat Suidas. Fuit filius Epicratidis, & Lindiæ Alexandrinæ. Audivit præter Heſtiæum etiam Rhodi Dionyſium Thracem. Quod captivus ductus fuerit à Lucullo Romam non aſſerit Suidas, ſed ait, fuiſſe æmulum Demetrii Erythrei, quem affirmat ductum fuiſſe captivum Romam à Lucullo, cum Mithridatem Ponticarum gentium Regem viciſſet.

Apparet liberalitate Luculli divitem factum, cum tot myriadas librorum poſſederit, librique illa tempeſtate magni conſtarent: deſcribendi namque erant accurata diligentia à librariis. At noſtro ſeculo doctorum indoctorumque fœtus vili pretio protrudit Typographorum multitudo. In Tyranniomem meum extat tetraſtichon:

Quod ferus ingenio premeres, Theophraſte, ſodales,
Atque dares ſocio regia verba gregi,
Te meritò dixit vulgaris fama Tyrannum,
Nuncque etiam tali nomine turba refert.

CAP. XXI.

De Sylla transferente libros Ariſtotelis Romam Athenis.

Quod hodie in manibus ſtudioſorum verſantur ſummi viri Ariſtotelis volumina, id Romanis proceribus ſcientibus æſtimare tanti hominis ſcripta acceptum ferimus, quia ingrati nolumus eſſe. Sylla ſcilicet cum expugnaſſet Athenas, quia doctus, & eruditus erat, inquiſivit in bibliothecas adeo, ut hæc

hæc de ipſius diligentia ſcripta reliquerit Plutarchus in vita Syllæ: *Sibi ipſi Apelliconis Teji bibliothecam peculiarem exemit, in qua fere omnia Ariſtotelis, & Theophraſti volumina fuerant, quorum notitia nondum aperte manarat in vulgus. Ea Romam delata, maximam partem à Tyrannione Grammatico digeſtam fuiſſe traditur. A quo Andronicum Rhodium cum eſſet facile nactus exemplaria in medium poſuiſſe, atque quæ non feruntur Tabulas exſcripſiſſe.* Ita absque Sylla ſi fuiſſet, Cicero non potuiſſet legere Ariſtotelem, quem tamen diligenter trivit, multaque in ſua volumina cum utilitate diſcentium transtulit.

Andronicus porro Rhodius ſic ſuſcepit Ariſtotelem, ut paraphraſin in ipſum ſcripſerit, quia difficultas Ariſtotelicorum ſcriptorum id poſcere videbatur. Neque enim Antiqui, quod nos facimus, commentaria in libros exarabant. Hodie Andronici extat paraphraſis in libros Moralium Ariſtotelis, quæ quod germana ſit, non video cur debeamus ambigere, cum præſertim magnam præferat gravitatem, & nihil non ſerium, nihil non antiquo ſeculo dignum complectatur. Ejus ego filum tanquam Ariadneum, dum publice hoc anno Ethica Stagiritæ in Scholis explano, lubenter ſequor, cum qui hactenus in eos libros ſcripſerunt Androniceam diligentiam ignoraverint. Quod mirum videri non debet, quia non ita multis abhinc annis VCL. eam latine verſam cum ſtudioſis communicavit. Syllæ autem reponimus ob allatos Ariſtotelis libros in Italiam, hoc Epigrammate:

Mul-

Multum Corneli debet victricibus armis,
Imperium Sophiæ ſanctaque turba ſophum.
Nam Pandionia cum ſigna referret ab urbe,
Exceptus lætis plauſibus Æneadum,
Gnavus Ariſtotelis præclara volumina geſſit,
Atque auxit tali munere Trojugenas
Qui deinceps ut apes carpentes aurea dicta,
Ipſos ſunt viſi vincere Grajugenas.

Nec tuam inſuper habemus paraphraſin Andronice, quandoquidem ſic canimus:

Andronici calamus perſtrinxit ſcita Lycei,
Quæ juvenem ad mores erudiiſſe ſolent,
Herculeumque docent callem, ſublimeque templum,
Ultra quod felix tendere vita nequit.
Ergo qui Sapiens cupis eſſe beatus, & ire
Quo virtutis amor vivida corda vocat,
Andronici priſcas noli contemnere chartas,
Noli tanti homines ſepoſuiſſe ſophos.

Cap. XXII.

De obſcuris quibusdam hominibus Romanis, qui latinè de Philoſophia ſcripſerant ante Ciceronem.

IN ſecundo Tuſculanarum Cicero memorat quosdam philoſophiæ tractatores non memorabiles, qui obſcuritate preſſi nec dicti ſunt ſigillatim à Tullio, nec meruerunt ab alio relinqui aliquos ſtylo in hominum memoria. Apparet autem fuiſſe latinos, & forte Romanos, Romanæ propterea accenſendos

dos philoſophiæ, qui abſque dubio non imperiti fuerunt philoſophicorum præceptorum, de quibus tamen cum non ſolum loqui, ſed etiam ſcribere aggreſſi fuiſſent, oleum, & operam perdiderunt, nihilque famæ, & gloriæ ex ſuis laboribus ſunt adepti. Si vero à Tullio petas, ut quales fuerint, ſignificet, contemptim dicet, fuiſſe quoddam genus, qui philoſophi appellari volebant, qui etiam exararunt latinos libros ſanè multos, non eo honore affectos ab eodem Cicerone, ut indagati fuerint aut lecti. Cur ita? quia non diſtinctè, non diſtributè, non eleganter, non ornate compoſiti fuerant, non præbituri ullam legentibus delectationem. Quando ſcilicet de philoſophia aliquid literarum monumenti traditur, non jejuniis verbis indicandum eſt, quid Principes ejusmodi diſciplinæ ſentiant, cum omnes mediocriter periti ſciant, quæ ſint eorum opiniones. Addenda eſt orationis elegantia & copia, non omittendus apparatus, qui hominem diſertum decet, alliciendus lector amœnitate, & nitore dictionis. Hinc adeo factum, ut Platonem ſemper omnes lubenter legerint, etiam illi ipſi, qui dogmata Platonica non approbant. At Epicurum, & Metrodorum neglexerunt plerique omnes, exceptis Epicureis. Seneca tamen in quadam epiſtola magnifice de Epicuro loquitur, quamvis dum viveret, neglectus fuerit, & nihili factus. Vices quædam ſeculis ita obrepunt, ut quæ videbantur contemnenda, in pretio ſint magnique fiant. Cum de Epicuro ſic ſcriberet Cicero, ſuum ſeculum, ſuosque homines eloquentia, copiaque ſermonis redundantes reſpexit. Succeſſerunt alia tempora, quæ

aliter

aliter de componendis libris ſtatuerunt. Quid de noſtra ætate proferret, ſi caput extollere poſſet? quid pronunciaret de ætatibus conſecutis excidium rei Romanæ? Nos hodie perquam accurate legimus, & in trutina expendimus dicta Averrois, in quo quidvis aliud, quam eloquentiam reperias. Nonne conſtat trecentis abhinc annis opera ipſius Ciceronis, imo quorumlibet diſertiſſimorum hominum fuiſſe eſcam tinearum? venit tempus, quando è tenebris evocata ſunt, inque faſtigio ſplendoris collocata. Par autem eſt, ut Ciceronianum judicium de obſcuris illis philoſophiæ interpretibus approbemus, repetamusque verba, quæ extant in primo Tuſculanarum: *Multi jam eſſe latini libri dicuntnr ſcripti inconſideratè ab optimis illis quidem viris, ſed non ſatis eruditis; fieri autem poteſt, ut recte quis ſentiat, & id, quod ſentit, politè eloqui non poſſit. Sed mandare quemquam literis cogitationes ſuas, qui eas nec diſponere, nec illuſtrare poſſit, nec delectatione aliqua lectorem allicere, hominis eſt intemperanter abutentis, & otio, & literis.* Hæc ille, cui concinere cupio verſiculos meos:

Expers eloquii quisquis prægrande Sophorum
Haud dubitat furuo tradere dogma libro,
Incaſſum tempusque terit, mentemque fatigat,
Scriptaque Perſephonæ mox moritura parat.
Sic quos condiderant tenues, nulla arte, Quirites,
Noctibus addicti tot periere libri.
At quæ conflavit Cicero, monumenta ſuperſunt,
Et pretium à ſera poſteritate ferunt.

CAP.

CAP. XXIII.

De M. Craſſi Peripatetica philoſophia. Cur videatur idem contempſiſſe adverſa ſigna, profectus contra Parthos?

TE quoque Craſſe par eſt migrare in ſeriem, numerumque eorum, qui ſplendorem philoſophiæ apud Capitolium conciliarunt. Non enim ſatis tibi fuit in juventute animum paſcere hiſtoriarum, quarum peritiſſimus fuiſti, lectione, ſed robur ingenii tranſtuliſti ad capeſſendam philoſophiam Peripateticam, ut quidem de te locuples ſcriptor ſcriptum reliquit Plutarchus, quando tuam enarrat vitam. Si vero ſcire cupiam, cur tuum punctum Peripato potius addixeris, tribuerisque quam Stoæ Zenonis, aut umbriferæ Academiæ Platonis, reſpondebis, tibi viſam exedram Ariſtotelis magis facere ad tuum ingenium, ipſamque rerum naturam. Certe quando vivebas putabant Romani fas eſſe pro lubitu, vel Platoni adhærere, vel Zenonem ſectari, aut etiam veſtigia ſequi Ariſtotelis. Quin rereperiebantur, qui miſcellam architectabantur philoſophiam, quali quidem ratione ſe geſſit Horatius Flaccus, qui de ſe ſcribit:

Quò me cunque rapit tempeſtas deferor hoſpes,
Nullius addictus jurare in verba Magiſtri.

Quò magis irridendi ſunt noſtrates homines, noſtrates philoſophi, qui adigunt in verba Stagiritæ diſcipulos, coguntque jurare ſe in omnibus opinionibus defenſuros Ariſtotelem, neque vellatum unguem ab ipſius receſſuros tramite.

Tibi autem, ò Craſſe, in bello gerendo nocuiſſe philoſophiam Peripateticam ſuſpicari licet. Cur ita? quia Vatum monita, & triſtia ſigna, quæ te deterrere poterant à profectione contra Parthos, prorſus neglexiſti, inſuperque habuiſti. Peripatetici namque talia videntur floccifacere, & aſſerere, Numen curam rerum humanarum non gerere, providentiamque à primo Motore non deſcendere ultra orbem Lunæ, ut quidem noſtri Sancti Patres de Ariſtotele aſſeruerunt, eum propterea reprehendentes, & ut impium accuſantes.

Adde Peripatum nihil de Geniis, nihil de Vaticiniis tradere, & negare ſomnia ulla eſſe à Deo. Pronunciat quoque idem Lyceum, de futuris contingentibus nullam eſſe determinatam veritatem. Quo effato videntur omnia Vaticinia tolli, omniſque præſenſio futurorum everti. Quid quod putant in Lyceo qui ambulant, ſi detur divinatio tolli libertatem arbitrii, everti leges, pœnis & præmiis nullum eſſe locum, fatique nomen nihil aliud eſſe clamant, quam cauſas naturales, ut quidem conatus eſt oſtendere Alexander Aphrodiſienſis in libro de Fato.

Ergone Craſſe potuiſti contra morem Romanorum adverſa ſigna, & Vatum monita dira inſuper habere? potuiſti. Sic merito videris periiſſe. At obtendis ipſe philoſophiam Peripateticam. Reſpondere eſt, non debere quemquam inſtituta patriæ contemnere, etſi imbutus ſit aliqua ſecta philoſophorum. Nam mores patrii longe majus habent pondus, quam philoſophorum placita.

Quæ

Quæ tamen omnia à me ſic declamata ſunto, ut quæ doctiſſimi Peripatetici noſtri temporis ac præſertim S.Thomas attulerunt ad exponendum Ariſtotelem ne dicatur negaſſe Dei providentiam, ejusque rerum futurarum præſcientiam non rejiciantur, nec etiam aruſpicina Gentilium, quam contempſiſſe videtur Craſſus approbetur. Omnia enim,quæ dicuntur contra Craſſum, dicuntur ex hypotheſi, cui ipſe cæcus errore communi illorum temporum fuit obnoxius, ne quis forte ſuſpicetur approbari ſuperſtitionem Romanorum in inſpiciendis fibris, dum velut ludendo reprehenditur Craſſus, tanquam ſuorum rituum, licet revera falſorum, contemptor.

Cap. XXIV.

De Alexandro Peripatetico præceptore M. Craſſi. Agitur de philoſophico animi robore, deque contemptu gloriæ & divitiarum.

SI philoſophiæ Peripateticæ nomine commendavimus M. Craſſum, noſtrarum quoque partium fuerit eum memorare, cujus opera in umbra Lycei profecit tantus Vir. De eo Plutarchus in vita ejusdem Craſſi fere in principio magnificis loquitur verbis, quem etiam appellat Alexandrum: *in Ariſtotelis,* inquit, *diſciplina præceptorem habuit Alexandrum virum temporibus illis celeberrimum.* At, inquies, Alexander Peripateticus aut fuit præceptor Neronis, aut floruit ſub Severo,& Antonino Imperatoribus.

Ejuſmodi objectio digna eſt noſtratibus philoſophis, qui omnis hiſtoriæ, omnis Chronologiæ ſunt inopes,& imperiti. Quaſi novum ſit plures ejuſdem nominis egregios viros variis temporibus floruiſſe. Zenonem unum admodum antiquum memorat cum Meliſſo, & Parmenide Plato in principio Parmenidis. Alter Zeno non ita antiquus in Stoa docuit, Stoicamque fundavit ſectam, Diogenes ſane Laërtius quando narravit vitam alicujus philoſophi, tandem ſubjicit, ne quis nominis æquivocatione decipiatur, plures, exempli gratia, fuiſſe Stratones, Ariſtoteles, aliosque. Nos legimus Strabonem Geographum. An ipſum confundes cum Strabone Valafrido ſcriptore Chriſtiano? non, ſi tibi placet videri aliquid in ſucceſſione temporum noſſe. Tres famam conſecuti ſunt Marini, non commiſcendi inter ſe. Marinus Tyrius de Geographia bene eſt meritus, de quo multa Ptolomæus. Marinus Philoſophus Platonicus Neapolitanus,recenſetur à Suida. Marinum Neapolitanum poëtam eximium novi ipſe Romæ aliquot abhinc annis, & ſuſpexi. Facit autem ut ejusmodi æquivocatio in nominibus propriis,in memoriam mihi revocem querelam Antonii Bruni poëtæ non contemnendi. Is dolebat quendam alium,quem non putabat ſecum comparandum, itidem poëtam, ſed Siculum, itidem appellari Antonium Brunum.

Sed redeamus ad Alexandrum præceptorem Craſſi. Ipſe non tantum dogmatibus, & profeſſione fuit Philoſophus, ſed facto & re ipſa. Cur ita? quia, ſi credimus Plutarcho, *præclariſſima contemnendæ gloriæ de ſe præbuit exempla in ea, quam cum Craſſo habuit*

habuit conſuetudine. Sic enim animi moderatione calcante typhum, faſtumque Romanos revocabat ab inſatiabili illa gloriæ comparandæ cupiditate. Nam quis inter Quirites tota animi contentione non ambibat dignitates, non aſpirabat ad triumphos, ad coloſſeas ſtatuas, quis non cupiebat ovare, & plauſibus Civium in cœlum tolli? ad compeſcendum immodicum laudis deſiderium, par erat, ut adeſſet clariſſimus philoſophus, qui ex animi ſententia illud repeteret:

O curas hominum, ò quantum eſt in rebus inane.

Qui ſubjacet ambitioni, indignus eſt, qui vocetur philoſophus. Philoſophari enim ille proprie dicitur, qui obfirmat animum adverſus dolorem, voluptatem, adverſa, ſecunda, qui paucis eſt contentus, qui totus eſt teres atque rotundus, & mediis in undis tranquillitate fruitur animi. Talem fuiſſe Alexandrum mirari forte ſubit, quandoquidem philoſophiam profitebatur Peripateticam, quæ diſciplina videtur potius frangere, quam munire robur animi. Etenim felicitatem, vitæque beatitudinem ſitam eſſe ait etiam in pulchritudine, robore & ſanitate corporis, divitiis, nobilitate, copia amicorum. Id ſi verum eſt, philoſophus non prius putabit ſe conſecutum felicitatem, quam talia adeptus fuerit. Aut dicet ſe in felicem ſi ejusmodi deſtituatur. Adde Ariſtotelem de altera poſthanc vita non loqui, non loqui de præmiis aut pœnis, poſtquam hinc diſceſſum fuerit. At rectè dixit Plutarchus, Dei providentiam, & animæ perdurationem, poſtquam ſeparata fuerit à corpore, non debere divelli atque ſeparari. Stoica legitur, & Pla-

tonica philoſophia longe magis videtur commendanda, quam Peripatetica. Nam Plato multa narrat de beatitudine bonorum virorum poſt hanc vitam, deque ſuppliciis malorum non ſilet. Stoici autem in ſola virtute tradunt ſitam eſſe felicitatem. Quo magis, ut dicebam, admiratione eſt dignus Alexander Præceptor Craſſi, qui alto ſupercilio gloriam, divitiasque calcavit ſub pedibus. Vixit enim pauper etiam in familiaritate ditiſſimi Craſſi, oſtenditque ſuo exemplo vera ſapientia deſtitui, & dici non debere philoſophos, qui anxiè ad divitias anhelant. Quæ omnia ſanctitati Chriſtianæ religionis ſunt conſentanea. Hinc Chriſtus Servator dixit adoleſcenti, qui cupiebat perfectus eſſe, hoc eſt, ad apicem philoſophiæ pertingere: *vade, & vende omnia, & da pauperibus, & theſaurum habebis in cœlo.* Quibus verbis excitatus S. Antonius ſe exuit omnibus bonis, & ſolitudinem petiit. Quid memorem S. Franciſcum, qui divitis parentis neglexit, & reliquit opulentas ædes, nudusque nudam ſectatus eſt philoſophiam, hoc eſt perfectionem Evangelicam eſt conſecutus. O ergo miſeros terque quaterque infelices, qui cum præ ſe ferant philoſophicam gravitatem, & ſanctitate velint videri cœlum tangere, hæredipetæ tamen inſidiantur nobilium familiarum palatiis atque latifundiis.

Cap. XXV.

Quantus in Philoſophia fuerit M. Brutus, cui Sectæ addictus? An verba quædam contra virtutem protulerit jamjam moriturus?

Tue-

TUetur ſe philoſophia Romana Bruti ſummi viri auctoritate. Quis enim auſit damnare philoſophiam, quam adeo diligenter excoluit Brutus, nunquam ſine ſumma laude nominandus? habuit præceptorem Ariſtum fratrem Antiochi. Sic enim Cicero: *Ariſtum aliquamdiu audivit, cujus tu fratrem Antiochum.* Varronem alloquitur, qui veterem Academiam ſequebatur. Sed & ipſum Antiochum Aſcalonitam coluit, imo admiratione proſecutus comitem vivendi una cum Fratre fecit, quod traditum ſcimus à Plutarcho in ejus vita. Quin omnes græcos philoſophos audivit, ut quod maxime veritati conſentaneum foret eligeret. Hæſit in Platonicis, hoc eſt veteribus Academicis, ſpreta media, ac recenti Academia. Eo namque ſectatores Platonis ſunt progreſſi, ut de omnibus differentes ambigui hærerent, & judicium ſuſpenderent. At Brutus recurrit ad fontem ad ſcripta Platonis, ejusque axiomata, non paſſus ſe ab illis avelli; qua de re videndus Plutarchus, ut rejicias quorundam Italorum recentium fabellam, qui putant Stoicum fuiſſe Brutum. Unde quæſo id hauſerunt? An quia gravis fuit Brutus Stoicus eſt appellandus? habuerunt ſuam gravitatem quoque Platonici, licet à Stoa procul diſcederent. Sed ad Brutum revertamur, de quo verba Plutarchus etiam atque etiam notanda: *Brutus bonarum artium diſciplina, & philoſophiæ ſtudiis imbutus.*

Nonnulla de philoſophia literarum monumentis mandavit. Teſtatur id Cicero: *Brutus noſter excellens omni genere laudis ſic philoſophiam latinis literis pro-*

 ſequitur,

ſequitur, nihil ut iisdem de rebus Græcia deſideret. In primis compoſuit librum de virtute, quem etiam ad Ciceronem direxit. Sic enim Cicero; *Ad te ne Græcis quidem cedentem audeam ſcribere provocatus gratiſſimo mihi libro, quem ad me de virtute miſiſti.* Hinc in eodem opere de Finibus ait: *in optimo genere philoſophiæ tantum proceſſiſti.* Subdit: *Non ut ea cognoſcas, quæ tibi notiſſima ſunt.* Rependit ergo gratas vices Bruto Tullius, cum ei de Finibus libros conſecravit atque inſcripſit.

Mirari autem ſubit Brutum tantum philoſophum, qui pulcherrimum librum exaraverat de Virtute aliumque de Officio, teſte Seneca Epiſt. XCV. ſub finem vitæ jamjam exhalaturum animam erupiſſe in verba Tragici græci, quibus virtus dicitur eſſe res miſera, & ſervire Fortunæ, eſſe nomen inane, & non res ſolida. Quæ verba à Tragico tribuuntur Herculi, & ex eo repetita ſunt à Bruto, ut teſtatur Dio Caſſius. Nonne funditus evertit ſuam philoſophiam Brutus, qui ſic locutus eſt? Reſponderim, novum non eſſe, ut, qui in ſummam incidit calamitatem, erumpat in verba non conſentanea robori philoſophico. Non inde colligendum, eum, qui ſic loquitur contemnere philoſophiam. Dicendus tantum eſt molliter ſe gerere, & non ſecundum dictata philoſophiæ.

Certum autem non eſt à Bruto talia prolata verba, & ſi eorum mentionem faciat Dio Caſſius. Nam Plutarchus, qui accuratiſſime ejus vitam deſcripſit, nihil ejusmodi narrat. Nec apud Appianum tale quid reperitur, non id omiſſurum, ſi ſic locutus fuiſſet tantus vir, qui ſemper ſummam animi præſenti-

ſentiam præ ſe tulit. Videtur igitur Dio ei ejusmodi ſententiam impegiſſe, ut affectaret laudem ex cognitione antiquitatis. Certe qui legit attente Dionem de ejus narrationibus non ſemel cogitur dubitare, qua de re plura in meo Commentario Etruſco de Vita Cleopatræ jam edita. Sed miſſo facto Dione, ita alloquamur Brutum.

Brute tuis quis non meritis aſſurgat, & usque
Acclamet? quis non te Sophe Brute colat,
Si generoſam animam potuiſte impendere Romæ,
Cæſareo renuens ſubdere colla jugo?
Macte Heros tali ingenio, cui nulla tulerunt
Tempora par, deinceps tempora nulla ferent.

Cap. XXVI.

De Caſſii philoſophia Epicurea. Attingitur aliquid de ἀδιαφορίᾳ Ciceroniana.

AN expertem putamus fuiſſe philoſophiæ Caſſium, Heroëm illum vindicem Romanæ libertatis? Non id aſſeret quisquis Epiſtolas legit Ciceronis, ex quo diſcimus addictum fuiſſe Epicureæ ſectæ Caſſium. Epicureos etenim appellat Tullius Caſſii amicos. Cum vero iſthic videatur irridere ejusmodi ſcholam, ſubjungit alloquens Caſſium: *Si ſtomachabere & moleſte feres; plura dicemus, poſtulabimusque, ex qua hæreſi vi dejectus ſis.* Hæreſin cum græcis ſectam vocat. Mox ait Caſſium virtuti nuncium remiſiſſe delinitum illecebris Voluptatis. Deinceps ſe corrigit, & ait in ea ſecta plus nervorum futurum, quam putaverit, modo ab ipſo,

qui fortiſſimus ſit probetur. Tam fortis ſcilicet erat Caſſius, ut non ſolum non videretur emolliendus ab Epicuri placitis, verum additurus amicis ſuis robur & firmitatem. In Epiſtola XVIII. poſtquam dixit, ſe nullam aberrationem à moleſtiis habere; mox inducit Caſſium quærentem: *Ubi igitur philoſophia? tua quidem in culina, mea moleſta eſt, pudet enim ſervire.* Tua nihil intereſt aſtumne ſit de libertate vel non. Nam cum ex hæreſi ſis, quæ ultimum finem collocat in cibo, & potu, in voluptate, modo culina non deſit, ſervies, vivesque haud gravatim ſub Tyranno. At philoſophia, quam ego profiteor, à libertate avelli non poteſt. Sic Cicero reſpondet Caſſio.

Sed alibi videtur Cicero aut philoſophiam deſerere, aut tanquam Anaxarchus aliquis, & Pyrrho ſe tueri & ſolari ἀδιαφορία, indifferentia. Sic enim ad Atticum: *Dii immortales, neque me tam* εὐελπιςία *conſolatur, ut antea, quam* ἀδιαφορία, *qua nulla in re tam utor, quam in hac civili, & publica.* Quæ aliquis dicet diſcedere ab Academia, adque Pyrrhonis ſe conferre ſcholam. De Pyrrhone ſane ſic Laërtius: *negabat quicquam turpe eſſe aut honeſtum, juſtum, aut injuſtum. Eadem ratione, & in omnibus nihil vere eſſe, cæterum lege atque conſuetudine cuncta homines facere: Neque enim eſſe quicquam iſtud potius, quam illud.* Pyrrho diſcipulus extitit Anaxarchi, de quo ibidem Laërtius: *cum aliquando Anaxarchus in ſcrobem incidiſſet, ille pertranſiens nihil ei opem tulit. Idque cum plerique culparent, Anaxar-*

xarchus ipſe laudabat, ut indifferenter, & ſine affectu ſe habentem. Hæc ille.

Sed nequaquam exiſtimandum eſt tam abſurde ſenſiſſe Ciceronem, & cum Pyrrhone voluiſſe tollere omne juſti & injuſti diſcrimen, cum tam prolixe & accurate de officiis ſcripſerit, & in ſecundo de legibus invectus fuerit in ſententiam eorum, qui ſola hominum opinione & conſuetudine metiuntur juſtitiam & leges. Oſtendit enim ibi homines habere cum Diis immortalibus quandam cognationem, & à Natura manuduci ad probitatem, honeſtatemque, eandem ſententiam graviter tuetur Alexander Aphrodienſis, ut intelligamus jus à Natura manare.

Quid igitur ſibi vult Cicero, dum ſe ſolatur adiaphoria? reſpondendum eum tunc cum Stoicis loqui, qui ſolam virtutem putabant eſſe bonam, vitium ſolum eſſe malum. Reliqua omnia appellabant Media, & adiaphora, in quo cenſu collocabant ſervitutem, libertatem, valetudinem ſecundam, aut adverſam, divitias, paupertatem, robur, aut imbecillitatem, in quibus omnibus negabant collocandam eſſe felicitatem, cum fortuita ſint, & reperiantur æque apud malos, atque bonos. Nonne enim multi mali, & vera virtute deſtituti liberi ſunt, divites ſunt, proceres ſunt, auctoritate & imperio pollent?

Ergo Cicero cum videret omnia in pejus ruere, & jam prope everſam eſſe Rempublicam, & fruſtra ſe patriæ tuliſſe opem, ſolatur, ſeipſum dum cogitat, cum Stoicis virum ſapientem non quidem ſpernere libertatem, divitias, dignitatem, & ejusmodi alia, non tamen magnopere dolere, neque deſpondere animum,

mum, licet adverſa fortuna ſubtractis talibus contraria prorſus ingerat, paupertatem ſcilicet, fugam, exilium, ipſam denique mortem.

Quæ quidem cogitatio valde eſt conſentanea Chriſtianæ pietati, quam dum commendat S. Paulus ſuo exemplo nos inſtruit, ne reformidemus carcerem, ne alia graviſſima, quæ intentari ſolent à Tyrannis.

Paradoxum autem Anaxarchi,& Pyrrhonis prorſus explodendum, proculque relegandum à vita civili, & à ſocietate humana, cum evertat totum fundamentum virtutis,omniaque confuſioni obnoxia reddat. Qua de re plura protuli in meis prælectionibus publicis, quas habui in ſecundum librum Ariſtotelis de Moribus ad Nicomachum. Sed Caſſii philoſophiam dimittamne absque verſiculis? non dimittam, quin ſic cano:

Linque Epicureos, Caſſi generoſe, penates,
Linque hominem, quo nil mollius eſſe poteſt.
Namque audendum aliquid dignum virtute Quiritum,
Dignum quod Latiam migret in hiſtoriam.
Cæſaris imperium ſolvendum eſt ſanguine fuſo,
Ne ferat impoſitum libera Roma jugum.
Ergo linque larem, quo nil eſt fractius, ipſum
Linque hominem, quo nil mollius eſſe poteſt.

Cap. XXVII.

De Catio Epicureo. Quod ſcripſerit de re Culinaria, ſed non bene. Agitur de effluvio radiorum, & obiter quæritur: an lux ſit ſubſtantia tenuiſſima?

Sta-

STatum philoſophiæ apud Romanos tangit etiam Catius Epicureus, etſi namque Inſuber fuerit, ut teſtatur Cicero lib. XV. Epiſt. Famil. Epiſt. XVI. cum tamen latine de plilofophia ſcripſerit, omittendus non eſt, cum eum recenſuerit Quintilianus, ait enim: *ſuperſunt qui de philoſophia ſcripſerunt, quo in genere pauciſſimos adhuc eloquentes litteræ Romanæ tulerunt.* Mox ait Tullium, ut ubique ſic in philoſophia æmulum Platonis extitiſſe. Hinc memorat Brutum præſtantiorem in philoſophia, quam in orationibus, ſuffeciſſe namque ſic pondere rerum, ut ſcires eum ſentire quæ dicit. Addit Cornelium Celſum, qui Scepticos ſecutus non caruit cultu, ac nitore. Non omittit Plancum utilem inter Stoicos rerum cognitione. Tandem de Catio hæc profert: *in Epicureis levis quidem, ſed non injucundus tamen Catius.* Ejus mortem non omittit Tullius. Horatius eundem Sat. lib. II. Sat. IV. ſic inducit loquentem:

Unde, & quo Catius? non eſt mihi tempus, aventi
Ponere ſigna novis præceptis, qualia vincant
Pythagoran, Anytique reum, doctumque Platona.

Conqueritur apud Flaccum Catius, & cogitat, quibus nominibus utatur interpretandis, & latine exprimendis Epicureis quibusdam præceptis, quæ ad artem culinariam, convivii apparatum, obſonia, condimenta & ſimilia pertinent, ait ſibi non eſſe tempus vacuum, dum cupit literis, & memoriæ mandare nova quædam documenta Pythagoreis, Socraticis, Platonicis potiora. Tota illa Satyra irriſionis plena eſt, an enim

enim decet Philoſophum acute de re culinaria diſputare? irridet autem Satyricus ſub perſona Catii ejus ſectam, quæ ſibi valde placebat in enarrandis iis, quæ ad culinam faciunt, quam tamen cognitionem falſo ſibi arrogabant. Si vero ex Cicerone cupias ſcire an bene rem geſſerit Catius inveniendo vocabula, reſpondet eum cum quodam Amafinio extitiſſe malum verborum interpretem.

Inter illa vocabula, ſpectrorum nomen recenſet Cicero. Sic enim Catius, quæ Epicurus & Democritus appellarant idola, expreſſit; adverſus quæ ſic diſſerit idem Tullius: *His ſpectris etiamſi oculi poſſent feriri, quo velis ipſa currunt, animus qui poſſit non video. Doceas tu me oportebit, cum ſalvus veneris, in meane ſit poteſtate ſpectrum tuum, ut ſimul ac mihi collibitum ſit de te cogitare, illud occurrat neque ſolum de te, qui mihi hæres in medullis: ſed ſi inſulam Britanniam cæpero cogitare, ejus idolon mihi advolabit ad pectus?*

Cæterum, ut rem altius repetamus, non ſolus Epicurus, aut etiam Democritus, ſed ipſe Empedocles, ut eſt apud Ariſtotelem in II. de an. lumen dixerunt eſſe effluvium corpuſculorum è corpore & Heraclitus ex hac ſententia ſolem *fontem luminis* vocabat. Apud Statium hæc leguntur verba:

Nam ſplendor ab alto
Defluus, & nitidum referentes aëra teſtæ.

Lucretius:

Largus enim liquidi fons luminis æthereus Sol.

Omitto alios. Sumpta eſt metaphora, ut quisque videt, ab aqua, quæ cum valde tenuis ſit, fluere dicitur. Ut vero aqua tenuatur in vaporem, ſic flamma in lucem, pro-

propterea aſſerunt aliqui lumen nihil aliud eſſe,quam flammulam rariſſimam, tenuiſſimamque, ſed hæc aliorſum tendunt, ſatis tamen apparet exiſtimaſſe ſcriptores magnam eſſe affinitatem, inter aquam & lucem, quandoquidem dixerunt lumen fundere. Jam pridem à viris eruditis collecti ſunt loci. Lucretius:

Semper enim nova ſe radiorum lumina fundunt.
Proinde calor quoniam Solis, lumenque profuſum.

Ex quo modo loquendi collegerit aliquis lucem eſſe ſubſtantiam tenuiſſimam, nec enim poſſet fundi, ſi ſubſtantia non foret. Nonne aqua corpus eſt ſed tenue, quod ſeſe aëri immiſcet. Si vero quæras, quæ major ſit tenuitas aërisne an lucis, forte dicet Statius tenuiorem eſſe lucem, nam ait alicubi lumine fuſo à Luna tenuari aëra. Si lux eſſet denſior aëre, denſaretur aër, non tenuaretur. Sed hoc digreſſi eſt, quod lux ſit tenuiſſima ſubſtantia, probaveris, quia veteres dicebant Solem, diem *manare.* Et dictum *mane,* quia tempore matutino manant radii. Manare non videtur accidentium. Perpende etiam dictum Perſii Sat. III.

Jam clarum mane feneſtras
Intrat, & anguſtas extendit lumine rimas.

Nonne hoc ſubſtantiæ eſt? ſed dices: ſi lumen ſubſtantia eſt, & corpus, qui penetrat ſpecularia? ſequeretur etiam duo corpora eſſe in uno loco.

Reſponderet forte aliquis lumen ob ſummam tenuitatem penetrare vitrum. Nonne aër quoque penetrat, & tamen ſubſtantia corpus eſt, non ita, ut puto, tenue, ut lux.

Vete-

Veteres autem non putarunt eſſe abſurdum dicere duo corpora ob tenuitatem ſe invicem penetrare. Nec quilibet definit locum ſuperficiem corporis continentis. Qui ajebant animam eſſe tenuiſſimum corpus non propterea eam à corpore craſſo avellebant. Quid referam Stoicos, apud quos Deus, quem corporeum faciunt, intime omnia corpora penetrat, pervadit, præſtoque illis adeſt?

Hæc dicta ſint occaſione arrepta ex iis, quæ Democritei de effluvio radiorum ex corporibus proferebant. Averſamur interim illos, qui dixerunt animam eſſe corpus. Eſt enim ſubſtantia incorporea, quod multo magis eſt proferendum de Deo, quem omnis materiæ expertem profeſſi ſunt ſapientes, & profitentur hodie, quicquid in adverſam garriverint partem Stoici.

Cap. XXVIII.

De M. Piſone, deque ejus præceptore Staſea Neapolitano. Quam lubenter Romani Athenis viderent ſedes philoſophorum.

A Numero Procerum Romanorum, qui Philoſophiam ſuo ſtudio, ſuaque auctoritate claram illuſtremque reddiderunt non ſine culpa excluderetur M. Piſo: quem differentem docte, & copioſe induxit Cicero in libris de Finibus. Habuit autem Piſo apud ſe multos annos Staſeam Neapolitanum inſignem philoſophum. Sic enim Cicero: *quod & Staſeam Neapolitanum multos annos apud te habueris.* Ex qua familia ſi quæras fuerit Staſeas, reſpon-

reſpondet Tullius fuiſſe Peripateticum. Tullii verba ſunt: *memini Staſeam Neapolitanum, doctorem illum tuum nobilem ſane Peripateticum.*

Diſputavit idem M. Piſo cum Antiocho philoſopho. Qua de re Cicero: *cum audiviſſem Antiochum, cum M. Piſone diſputantem in eo Gymnaſio, quod Ptolomæum vocatur.* Erat hoc Gymnaſium Athenis. Tunc enim,& Pomponius Atticus in ea urbe verſabatur, ut ex eodem Cicerone colligitur, apud quem deſcribitur Academiæ ſolitudo, cui propinqui erant hortuli Platonis. Mox memorantur Speuſippus, Xenocrátes,& ejus auditor Polemos. Quin Pomponius non diſſimulat ſe ſuſpicere Epicurum, cujus hortos præteriverant, ituri in Academiam, ut intelligamus hortos illius philoſophi tantopere laudatos non abfuiſſe procul ab Academia Platonica. Subjicit habitam imaginem Epicuri paſſim non ſolum in tabulis, *ſed etiam in poculis & annulis.*

Nec præterit Cicero exedram, ex qua docebat admirandus Carneades. *Ego*, inquit, *moveor illa exedra. Modo enim fuit Carneades, quem videre videor. Eſt enim nota imago, à ſedeque ipſa tanta ingenii magnitudine orbata deſiderari illam vocem puto.* Ex quibus omnibus diſcere eſt, quantopere faverunt proceres Romani philoſophiæ. Quandoquidem lubenter ſe Athenas conferebant, ea etiam de cauſa, ut viderent ſedes tantorum philoſophorum, paſcerent oculos imaginibus, ſuſpicerent loca in quibus deambulaverant. *Ego autem*, inquit Cicero, *tibi aſſentior, uſu hoc evenire, ut acrius aliquanto,& atten-*

tius de claris viris locorum admonitu cogitemus. Hinc narrat viſam Metaponti ſedem Pythagoræ.

Qui affectus erga philoſophiam ex eo etiam patefit, quandoquidem iidem Proceres lubenter in ſuas ædes recipiebant ſapientiæ myſtas, quod non ſolum exemplo Piſonis Staſeam domi detinentis, ſed multis aliis, quorum aliqua hoc libro continentur, oſtenditur. At Lucianus in quodam Dialogo videtur improbare eos, qui patiebantur ſe mercede conduci à Magnatibus.

Iter porro quod ſuſcipiebant Romani Athenas, ut viderent ſedes clariſſimorum hominum facit, ut erumpam in laudem Gallorum, Germanorum, atque aliorum Transalpinorum, qui valde multi peragrant magnam partem orbis terrarum, ut coram doctiſſimos viros, aut mortuorum inviſant tumulos. Cognoſcant ædes, obſervent natale ſolum; dici namque non poteſt quantopere inflammemur ad virtutem. Quando talia intuemur, quando oculati teſtes cernimus patriam terram eorum, qui ſapientiæ nomine paſſim inclaruerunt.

Cap. XXIX.

De T. Lucretio Romano, magno philoſopho, magnoque poëta.

PEccarem adverſus tractationem, quam ſuſcepi, ſi verborum nihil impenderem Lucretio latiniſſimo, doctiſſimoque poëtæ, qui primus auſus eſt exhametro carmine de philoſophia verba fundere. Æmulatus perquam feliciter Empedoclem

clem ſummum virum, quem conſtat verſibus incluſiſſe arcana philoſophica. Scio nequaquam fas eſſe aſſentiri Lucretio in iis, quibus velificatus eſt aſſentiendo Democriti & Epicuri Placitis. Sed quandoquidem ea tempeſtate, qua ſcribebat, fas erat Romæ pro lubitu Sectæ quæ magis placuiſſet, adhærere, negare non poſſumus valde bene meritum fuiſſe Poëtam de contemplatione rerum philoſophica. Quis enim neſcit viros magnos etiam quando errant, aliquatenus prodeſſe humano generi? nam excitant aliorum recte ſentientium diligentiam adſolvendos nodos admodum difficiles, adque illuſtrandas abſtruſas quasque & reconditas difficultates. Ignorandum porro non eſt optime præ omnibus in Lucretio verſatum fuiſſe Lambinum, minusque probe ſe geſſiſſe Giphanium, qui in meſſem Lambinianam affectatam immiſit diligentiam, conatus ſibi rapere ob emendatum Lucretium coronam, quæ tamen debebatur Lambino, cum ipſe manuſcriptos perquam diligenter inſpexerit, mendasque plurimas diluerit, ſuſtulerit.

Scimus etiam Petrum Victorium Florentinum, virum & genere, & eruditione clariſſimum, diligentiam ſuam impendiſſe eidem poëtæ, qui tamen labor non prodiit, quod auctor, vir pius, nollet videri collocaſſe ſuam operam in exponendo ſcriptore pietatis, & ipſius divinitatis contemptore.

Sunt vero, qui cuperent commentarium philoſophicum exarari in doctiſſimum poëtam, quandoquidem Lambinus videtur potius verba Lucretii exegiſſe ad manuſcriptorum fidem, quam ut voluerit philoſo-

loſophicis ſententiis illuſtrandis tempus impendere.

Ego in meo opere de doctrina Democriti non pauca loca (niſi fallor) Lucretii ſum interpretatus. Forte etiam aliquando hunc laborem exantlabo, ut obſervationes philoſophicas in totum opus Lucretianum componam.

Interim ſciamus Romanum fuiſſe Lucretium, & quidem illuſtri familia natum, floruiſſeque iisdem fere temporibus quibus extiterunt ſummi viri ſenex Craſſus, Cicero, Hortenſius, Sulpicius, Brutus, Calidius, Calvus, Cœlius, Cæſar, Corvinus, Aſinius Pollio, Salluſtius, Varro, Catullus.

Gratulor tibi Roma de magno alumno Lucretio, qui acceſſit ad philoſophiam tanto cum impetu ut nobis reliquerit monumentum aëre perennius, oſtenderitque Romanos non ſolum poſſe diſcere, ſed & docere philoſophiam, dumque gratulor, effundo carmen, ſicque Epicuri, Lucretiique laudo ingenium, ut dogmata rejiciam, illud præſertim quo impugnatus animorum immortalitas Platonicis ſcriptis præclariſſime aſſerta, atque defenſa.

Incolit obſcuros Senior Gargettius hortos,
Nec docet è Cathedra, ſed canit: ipſe ſibi.
Ipſe ſibi vario condit monumenta labore,
Quæ minima expediunt corpora Democriti;
Auctoriſque vehunt latè poſt funera nomen
Sceptrigerum Sophiæ regnum ubicunque viget.
Hinc Epicureum didicerunt dogma Quirites,
Deque ipſo Carus grande poëma dedit,

Quod

Quod ſæpe haud dubitat generoſo volvere niſu
Ignavum quisquis vulgus abire jubet.

Cap. XXX.

De C. Cotta recentis Academiæ defenſore. Eum, licet Pontifex eſſet, more Carneadeo diſputaſſe.

C. Cotta æqualis Servii Sulpitii, familiaris Ciceronis, magna auctoritate præditus apud Romanos. Etenim legem tulit, qua Tribunis plebis alios Magiſtratus capere licebat, quod vetuerat Sylla. In philoſophia exiguus non fuit, defenditque cum Cicerone recentem Academiam, ambiguitati veliſicatus. Nam in primo de Nat. Deorum cum Cicero inveniſſet C. Vellejum, Lucilium Balbum & Cottam, inquit: *tres trium diſciplinarum principes conveniſtis.* Quod verò ſtaret à nova Academia cum Tullio, colligere eſt ex verbis illis Velleji: *Ambo ab eodem Philone nihil ſcire didiciſtis.* Cui reſpondit: *quid didicerimus Cotta viderit.* Auditor ergo Philonis fuit Cotta, & tanquam familiaris Tullii, exiſtimandus eſt profeciſſe non tantum apud Philonem, ſed & Diodotum, Antiochum, Poſidonium. Qui omnes frequenter verſati ſunt in domo Tullii ejusdem, ut ipſe teſtatur, dum inquit: *Orationes teſtantur refertæ philoſophorum ſententiis, & doctiſſimorum hominum familiaritates, quibus ſemper domus noſtra floruit, & principes illi Diodotus, Philo, Antiochus, Poſidonius, à quibus inſtituti ſumus.* Hæc ibi Cicero, ex cujus etiam eodem libro diſcere eſt Cottam audi-

viſſe frequenter Athenis Zenonem, quem Philo Epicureorum Coryphæum appellabat.

At erit, qui quærat: num Zeno fuerit Epicureus? reſponſio facilis eſt, ſermonem eſſe de Zenone Sidonio, non Eleate, non Citieo. Sidonii enim Zenonis meminit enim Laërtius, aitque fuiſſe diſertum Epicureorum dogmatum profeſſorem, ornate ſcilicet, graviter, diſtinĉte loquebatur, nequaquam expers eloquentiæ, ut fere indiſerti erant Epicurei.

Rurſus quæres, cur Cotta ſuaſore Philone audiret Epicureum, cum eſſet Academicus? cupiebat Philo magis ac magis confirmare in ſua opinione Cottam, à quo volebat conferri Zenonem cum Academicis. Deceptus igitur eſt vir eruditus, qui quod legiſſet Strabonem Geographum audiviſſe Xenarchum Peripateticum, fuiſſe & ipſum Peripateticum aſſeruit.

Mirabitur porro aliquis Cottam, cum Pontifex eſſet, induĉtum fuiſſe à Cicerone ea ratione, ut evertere conaretur omnia, quæ de providentia Deorum prolata fuerant à Balbo Stoico. Decet enim Pontificem tueri religionem, cultumque Numinis, non ipſum impugnare. Aliquot profeĉto abhinc annis, cum in palatio Marchionis Sfortiæ Pallavicini exortus eſſet Sermo de Lucretii poëmate Epicureo, de diſſertatione Velleji apud Ciceronem pro Seĉta ejuſdem Epicuri, de verſibus illis Juvenalis:

Eſſe aliquos Manes, & ſubterranea regna.

Nonnemo colligebat Romanos in univerſum atheos fuiſſe, & Numinis irriſores. Reſpondi ego, verba Juvenalis Satyricè eſſe prolata exaggerando multorum hominum impietatem. Lucretium ſcripſiſſe, quod

quod permitterent Romani diſputandi, & exercendi ingenii cauſa tueri Democriteas opiniones. Vellejum & Cottam itidem non ex animi ſententia, ſed philoſophandi cauſa ſic diſſeruiſſe apud Tullium. Extra ejusmodi altercationem Romanos prorſus adhæſiſſe ritibus ſuorum majorum, quos cœci & ſuperſtitione imbuti putabant recte de Deo ſenſiſſe, & recte eundem coluiſſe. Non ergo opinionibus philoſophorum metiebantur publica Sacra, ſed more urbis antiquo. Sic enim Cotta: *Cum de religione agitur P. Coruncanum, P. Scipionem, P. Scevolam Pontifices maximos, non Zenonem, non Cleanthem, aut Chryſippum ſequor: habeoque C. Lælium, augurem eundem ſapientem.* Mox ſubjungit: *Mihi perſuaſi Romulum auſpiciis, Numam ſacris conſtitutis fundamenta jeciſſe noſtræ civitatis.* Quæ verba cum recitaſſem non gravatim mea acquieverunt reſponſione.

CAP. XXXI.

De P. Nigidio Figulo Romano, philoſopho Pythagoræo, & magno rerum naturalium indagatore.

IN cumulum eorum, qui bene de philoſophia Romæ ſunt meriti ſua ſponte properat P. Nigidius. Cum quo teſtatur Cicero ſe multa diſputaſſe contra phyſicos more Carneadeo, de quo ſubjungit: *Fuit enim vir ille cum cæteris artibus, quæ quidem digna libero eſſent ornatus omnibus: tum acer inveſtigator, & diligens earum rerum, quæ à natura involutæ videntur.*

Quæres, ex qua ſecta is fuerit? res habere videtur aliquam difficultatem. Nam ſi cum ipſo *more Carneadeo* Tullius diſputavit contra phyſicos, videtur Nigidius fuiſſe ex recentibus Academicis.

Sed adverſus hoc pugnare videntur, quæ apud eundem Tullium ad ſummam tanti viri commendationem profertur ibidem: *Sic judicio poſt nobiles illos Pythagoreos, quorum diſciplina extincta eſt quodammodo, cum aliquot ſæcula in Italia, Siciliaque viguiſſet, hunc extitiſſe qui illam renovaret.*

Hinc licet, ut puto, colligere nequaquam Nigidium fuiſſe Carneadeum & Academicum, quamvis Cicero dicat: ſe cum illo adverſus Phyſicos diſputaſſe, hoc eſt ipſo audiente, ſive aſſenſum præberet, ſive non. Etenim diſerte teſtatur fuiſſe Pythagoræum, & ſectam Pythagoræ quaſi intermortuam quodammodo in vitam revocaſſe. Atque hic ipſe videtur primus Pythagoræus inter Romanos, quod quidem ego ſciam. Nec enim legi hactenus, quis fuerit ex Romanis proceribus ſectator Pythagoræ.

Dices, Catonem Cenſorium videri fuiſſe Pythagoræum cum Tarenti audiverit Nearchum Pythagoræum. Dicendum eſt, etſi Cato audiverit Nearchum non propterea evaſiſſe philoſophum, ſed leviter tantum nonnulla didiciſſe. Id diſcere eſt ex ipſius verbis apud Plinium, dum inquit: *bonum eſt* (Græcorum) *literas inſpicere, non prædiſcere.* Vaticinatus hinc eſt perituram Romam, receptis literis græcorum. Ejus verba ſunt ad Filium. *Hoc puta Vatem dixiſſe: quandocunque iſta gens literas dabit, omnia corrumpet, tum etiam magis, cum Medicos ſuos huc mittet.*

tet. Quæres, an verus fuerit Vates Cato? negat Plutarchus, ut jam à nobis relatum eſt ſuo loco in præcedentibus. Reſponderet ipſe, receptis literis Græcis florente Lucullo, aliiſque proceribus, exorta diſſidia, & tandem abſolutum principatum invectum in urbem, ejecta libertate. Sed adverſus Catonem dicere licebit non videri ob admiſſam philoſophiam, & Medicinam Græcorum natas diſſenſiones, & bella civilia.

Nunc de P.Nigidio quærendum, ancum tantus Phyſicus, tantuſque philoſophus fuerit, aliquid de rebus naturalibus mandaverit literarum monumentis? id affirmandum quandoquidem Plinius lib. I. eum ſæpe recenſet inter auctores Romanos & latinos, videturque etiam vocatus Figulus. Nam apud Macrobium hæc verba reperiuntur: *Sed quod ait Plinius de acipenſeris, ſquamis, id verum eſſe maximus rerum naturalium indagator Nigidius Figulus oſtendit, in cujus libro de Animalibus quarto ita poſitum eſt: cur alii piſces ſquama ſecunda, acipenſer adverſa ſit?* quo teſtimonio uſus ſum in meo Commentario de vita Cleopatræ, ut oſtenderem acipenſerem Veterum non eſſe noſtrum Sturionem, quicquid in contrariam partem ſcripſerit Rondeletius in ſuo opere de piſcibus, cum præſertim ne ſquamas quidem cenſeatur habere idem Sturio, corio tectus.

Gellius non admodum honorifice videtur ſenſiſſe de Nigidio; tradit namque ob obſcuritatem in vulgus ejus non emanaſſe opera. Sed Gellianæ auctoritati erit qui opponat Macrobianam.

CAP.

Cap. XXXII.

De C. Vellejo Senatore Romano fidenter defendente Epicuream ſectam. Ejus quædam diſputatio contra Platonem & Zenonem perpenditur.

ETſi Epicuri abſurdæ ſint ſententiæ, non tamen Romanorum nonnullos, libertate ſua uſos pudebat ipſi ſuppetias ferre, dareque operam in diſputando, ut probabilior cenſeretur eſſe ſecta, quæ ſuas opiniones ad Epicurum, & porro ad Democritum referebat. Jam in hoc libro recenſuimus Caſſium in Epicurea umbra latentem. Nunc recitare lubet nomen C. Valleji Senatoris, hominis proinde gravis, qui tantam vim, tantumque ſtudium Romæ, ad defenſionem Epicureæ Scholæ adferebat, ut primus in eo genere cenſeretur eſſe, & cum paucis Græcorum compararetur à L. Craſſo. Qua de re non ſinit nos dubitare Tullius in lib. I. de Natura Deorum, ex quo etiam colligere licet *fidenter* admodum ſe geſſiſſe in diſputando Epicureos, ſicque locutos, ne viderentur ullo modo eſſe ambigui, & ſe perinde geſſiſſe ac ſi ſua dicta depromerent ex Concilio aliquo Deorum. Quod eò lubentius credo, quia noſtra quoque tempeſtate reperire eſt homines quam plurimos, qui dum profitentur philoſophiam, tertio quoque verbo illud: *Certum eſt, hæc ſententia extra omnem controverſiam ponitur,* uſurpant, à quibus formulis abſtinerent, ſi quantum obſcuritatis inſit rebus naturalibus perpenderent. Sed

Sed ad C. Velleium redeamus, qui apud Tullium in primo de DeorumNatura Platonicos,Stoicosque alacriter admodum commentitiarum, futiliumque ſententiarum accuſat, objicitque Zenoni portenta & miracula *ſomniantium*, non differentium philoſophorum.

Platonem etenim putat graviter impingere, dum ait, genitum mundum, fore tamen ſempiternum,nam quæ *coagmentatio* poteſt eſſe *non diſſolubilis?* Cui quidem objectioni occurrit præclare Plato in Timæo, dum docet natura ſua eſſe ſolubilem coagmentationem, non tamen ſic jubente Deo ſolvendam unquam.

Sed dum quæritur ſecundum Platonem, genitusne ſit, an non mundus? non deſunt inter Platonicos, qui dicunt videri ſibi contradixiſſe præceptorem, jam enim dixiſſe eſſe genitum, jam negaſſe. Qua de re videnda, quæ traduntur à Plutarcho in Opuſculo de Procreatione animarum, atque alibi. Hinc non nemo inter Platonicos ingenitum appellavit mundum, ut Salluſtius, negavitque creatam animam mundi à Deo Alcinous. Galenus autem non uno in loco, quod videret inter ſe diſſidere doctores, teſtatus eſt neſcire ſe, genitusne ſit an ingenitus mundus?

Sed qui Platonici docuerunt mundum eſſe genitum ſecundum Platonem, ut certe plerique docuerunt, ſciſſi ſunt in contrarium ſtudium. Nam aliqui dixerunt mundum eſſe factum eſſeque æternum, hoc eſt conditum ab æterno, quam ſententiam inter noviſſimos Platonicos conatus eſt tueri Proclus octodecim argumentis.

Alii

Alii autem, quod exiſtimarent repugnare eſſe æternum & eſſe factum, pronunciarunt mundum conditum in tempore à Deo, dum inordinatam materiam ordine donavit, & affabrè compoſuit, quod videre eſt apud Plutarchum in libello de procreatione animæ. Errat enim, & errat vehementer quisquis Plutarchum non recenſet inter philoſophos. Quod autem Plato, & Platonici putarent mundum non factum ab æterno, docet etiam C. Vellejus, dum inquit: *Ab utroque autem* (ſcilicet Platone & Zenone) *ſciſcitor cur mundi ædificatores repente extiterint, innumerabilia ante ſecula dormierint?* in quam opinionem acerrime invehitur apud eundem Ciceronem.

Quæ lubuit proferre, quod Vellejus ea attigerit diſputando, & res ipſa valde digna ſit, quæ diligenter perpendatur à ſtudioſis Platonicæ philoſophiæ.

Nam ad veritatem ipſam quod attinet, nos edocti divinitus à Moſe edocti ſumus, à Deo optimo maximo ex nihilo in tempore factum eſſe hunc mundum, relinquentes philoſophis gentilibus ſua diſſidia, ſuasque alterationes nunquam finiendas.

Cap. XXXIII.

De Lucilio Balbo inſigni Stoico. Agitur etiam de Deo Stoicorum, cum anima mundi Platonicorum, non confundendo.

Q. Lucilius Balbus itidem Romanus dignus eſt habitus, quem Cicero in Stoica diſciplina cum excellentibus Græcis exæquaret, ut videre eſt in libro primo de Deorum natura. Hinc

Hinc adeò factum, ut diſertiſſimam orationem de Deorum natura & providentia juxta decreta Zenonis ei tribuerit in eodem opere de Natura Deorum, quam legi ac relegi cupiam ab iis, qui Stoica decreta callere volunt. Cui addenda contentio inter ipſum, & Cottam in tertio libro. Ex quo ſi placuiſſet Lipſio cum phyſiologiam Stoicorum componeret plura depromere, melius forte fuiſſet meritus de Cleanthea fruge.

Cum autem Balbus multis conetur oſtendere Mundum eſſe Deum, & eſſe ſapientem, nihilque melius ipſo reperiri, ſidera non carere ratione, Naturamque non eſſe brutam, ſed providentia & intelligentia præditam, quærere lubet, an non omnia iſta ſint eadem cum iis, quæ Platonici de anima mundi proferunt? ejuſmodi namque anima ſecundum Platonicos ſapiens eſt, imò divina eſt, infunditurque toti mundo, omnibus rebus largiendo ſenſum & motum. Interrogare etiam lubet, an non Virgilius in VI. Æn. cum Stoicis locutus ſit, quando dixit:

Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus
Mens agitat molem.

Et in Georg. itidem cum Stoa cecinerit:

Deum namque ire per omnes
Terraſque tractuſque maris, cœlumque profundum.

Reſpondere eſt, non debere confundi animam Mundi, de qua Platonici loquuntur, cum Deo Stoicorum. Nam apud Platonicos tres gradus reperiuntur divinitatis. Eſt Deus, prima cauſa, eſt ſermo. Architectus mundi, eſt demum anima mundi. Prima cau-

ſa

ſa eſt ingenita. Sermo gignitur à prima cauſa. A ſermone prodit anima mundi. Hæc igitur anima facta eſt, corporique jungitur, aut non omnino incorporea eſt, movetque mundum. Sed prima cauſa ejusmodi munere non fungitur, ſejuncta prorſus à corpore, & corporis expers. Ergo ſecundum Platonicos non licet dicere: mundo nihil eſſe melius. Nam prima cauſa absque comparatione eſt melior anima mundi. In Stoâ autem præter mentem illam, quæ coaleſcens cum materia mundum conſtituit, non reperitur Deus, non datur cauſa ſuperior & nobilior. Viderint vero aliqui ex noſtratibus philoſophis, qui ajunt Deum opt. maximum, conditorem mundi hujus, & ſoſpitatorem eſſe formam, animamque mundi, & partem intrinſecam & eſſentialem univerſi. Qui modus dicendi conſentaneus quidem videtur eſſe Stoæ, ſed abhorrere à Platone, ab Ariſtotele, & demum ab ipſa veritate Chriſtiana. Plato quidem primam cauſam non commiſcet cum mundo. Ariſtoteles primum motorem, incorporeum commendat cum intelligentiis, qui quidem primus motor tantum eſt in Oriente, & in parte convexa primi mobilis, non autem infunditur toti moli, nec pervadit ſua ſubſtantia totum mundum. Secundum autem Religionem noſtram, & ſecundum veritatem Catholicam Deus non eſt forma, & anima mundi, quia non pars, nec tanquam pars concurrit ad conſtituendum mundum. Ubique eſt, infinitus eſt, omnia movet, omnibus ſalutem impertit, ut cauſa effectrix, non ut forma.

Virgilio quæ fuerit mens in VI. Æn. facile deprehendit, qui totam Anchiſæ narrationem legit: Platonica

tonica enim eſt, quanta, quanta eſt, ad Stoam, ad Deum Stoicorum non trahenda. Ipſi enim vix quicquam de transmigratione, & circuitu animarum. Cur ergo à Stoicis accepiſſet Virgilius dogma de Deo, & inde transgreſſus fuiſſet ad placitum non faciens ad Chryſippum, aut Zenonem?

Verba porro in Georgicis tam ſecundum Stoicos, quam juxta Academiam Platonis explanari, accipique poſſunt. Vult enim oſtendere rationis non eſſe expertes apes. Cur ita? quia Deus (Deum appellant Platonici etiam animam mundi) omnia implet, in omnibus agit, ubique eſt. Quod effatum conſentaneum eſt non minus Stoæ, quam Academiæ. Quæ proferre volui, ne quis Servium ſecutus in VI. Æneid. Stoice accipiat verba Virgilii.

Obiter quæret aliquis: an non videantur verba S. Pauli, Actor. XVII. *In ipſo ſumus, vivimus, & movemur*, Stoice accipienda, cum præſertim conſtet Phariſæum fuiſſe S. Apoſtolum.

Reſponſio in promptu eſt, nam effatum S. Pauli ad cauſam eſt referendum effectricem, non alio trahendum. Etenim S. Apoſtolus ſic dicitur fuiſſe Phariſæus; ut reſurrecturos mortales cum ipſis crediderit, in cæteris non inceſſerit per talium hominum veſtigia.

Cap. XXXIV.

Proferuntur de Nigidio, de Cotta, de Lucilio & Vellejo Verſiculi.

Non pauca admodum ſerio ſuperioribus quatuor capitibus cum depromſerim, ne ſemper ſerius eſſe cenſear, videarque neſcire interponere

ponere ſtudiis aliquid amœnitatis, age verſiculos recitemus, honori magnorum virorum dicatos.

Ad Nigidium.

PYthagoræorum nomen, cœtumque domumque
Et varium occulti dogmatis arbitrium,
Quis potuit Latia generoſius in urbe tueri
Adverſus Sophiæ lumina, Stoicidas,
Contra Academiæ platanos, daphnenque Lycei,
Contra Gargetti culta vireta Senis?
Quis Samiæ haud timuit genti præbere receſſum,
Submittens magno lumina Pythagoræ?
Hæc tua laus, Nigidi, eſt, quæ tunc vaga deſeret orbem,
Quando orbem Phœbus lampade deſtituet.

Ad Cottam.

CUr cum ſacra feras, clariſſime Cotta, Sacerdos,
Et priſca Numen relligione colas,
Inſtar Carneadis pugnando ſpicula torques,
Contra fatidici provida dicta gregis,
Contra avium aëreas voces, dextrumque volatum?
Cur furva fibris detrahis arte fidem?
Nempe ſuperſtitio, pavidum quæ detinet orbem,
Ferre jubet dubio te quoque calle pedem.

Ad Lucilium.

LUcida, Lucili, ſapientum templa ſubire.
Si lubet, & Sophiæ ſplendida ferre ſacra,
Cur Stoam ingrederis, cur dogmata mira retractas,
Grajugenum ſermo quæ paradoxa vocat?

Cur

Cur ſalebras calcas, cur per juga pendula gaudes
Ferre pedem, tuta neſcius ire via?
Scilicet hic hominum mos eſt, ut proxima temnant,
Sollicitique vago rara labore parent.

Ad Vellejum.

Cur, ô Velleji, magnum per inane vagaris
Leucippum antevolans, Democritumque ſequens,
Si nil iſte Sophus ſine riſu promit, & usque.
Quæ modo conſtruxit pondera, ſternit humi?

Aliud.

Magno Epicureos redimenda dolore Voluptas
Obſcuro porcos detinet usque lare,
At te, Velleji, manet inter ſidera Romæ
Gloria non atro diminuenda die.
Ergo Epicureas Leucippi linque tenebras,
Ique ſequax, quo te læta Minerva vocat.

Cap. XXXV.

Varronem fuiſſe ſummum Philoſophum, ſed in ſcriptis tantum delibaſſe philoſophiam.

Si quis putat philoſophiæ expertem fuiſſe Varronem, quia inter philologos numeratur, næ ille magno in errore verſatur. Apulejus enim inſignis Philoſophus philoſophicam ſapientiam ei tribuit liberali manu, dum ait: *Memini me apud Varronem philoſophum virum accuratiſſime doctum, & erudi-*

tum legere. An philoſophus non ſit, qui accuratiſſime eſt doctus? ipſe Varro homo minime vanus & prolatus ab homine, qui non decipiebatur, apud Tullium in primo Tuſculanarum ſic loquitur: *in illis veteribus noſtris Menippum imitati multa ex intima philoſophia multa dialectice dicta.* Quales, boni Dii, fuerunt libri Divinarum humanarumque Antiquitatum, ex quibus aliquid citat S. Auguſtinus. Quanto cum detrimento ab edaciſſimo ablatæ tempore. Nullus mortalium poſſit talem compenſare jacturam. Audiamus Ciceronem, qui ejusmodi verbis opus illud commendat: *Tu omnia Divinarum, humanarumque rerum nomina, genera, officia, cauſas aperuiſti.* Etſi autem tantus vir penetralia philoſophiæ perſpecta prorſus haberet, noluit tamen quæ noverat latinis literis commendare. Nam græce forte non potuiſſet tam bene quam latine commentari. Cur etiam repetiiſſet, quæ jam præclare & ſubtiliter ab ipſis enarrata fuerant? ſuſpicari etiam licet exiſtimaſſe Varronem latinis literis nequaquam explanandam philoſophiam. Sic enim hodie aliqui, imo plerique ſentiunt philoſophica præcepta lingua Italica comprehendi nec commode poſſe, nec ſi poſſet debere, quod hoc ſit arcana cum vulgo profanum in morem communicare, & contemptui exponere.

Nihilne igitur ex philoſophia propinavit Varro in ſuis ſcriptis? delibavit plurima, non autem pleno fonte propinavit. *Meos*, inquit, *amicos in Græciam mitto.* Cicero autem eandem in rem ſic fatur: *philoſophiam multis locis inchoaſti, ad impellendum ſatis, ad docendum parum.* Nunc lubet his hexametris ſummum virum proſequi: *Varro*

Varro potens Vero, Varro doctiſſimus inter
Romuleos proceres, Latiæ lux aurea linguæ,
Faxque Vetuſtatis, Satyrarum Conditor, ingens
Inter doctiloquos Vates, cœtumque Sophorum;
Edidit excelſa in patria tot millia librûm,
Totque voluminibus Sophien ditare ſategit,
Quæ propè cuncta tulit longævi temporis ætas.
O detrimentum lacrymarum flumine dignum.
O Senii ſævasque vices, crudeleque factum.
O Vim tardipedis Fabri, quem Lemnos adorat:
Siccine Varronis potuiſti extinguere chartas?
Æthereâ dignasque die dignasque juventa,
Perpetua, dignas, quæ nunc in luminis aura
Verſantes, nitidæ nos aurea dicta docerent.

CAP. XXXVI.

Commendatur Cicero ob philoſophiam, quam primus literis latinis locupletavit. Poſſe eos, qui Reipublicæ præſunt, quandoque vacare philoſophiæ.

COnſuetudine ampliſſimorum hominum, & clariſſimorum hominum civium philoſophiæ deditorum cum ſubinde uteretur Tullius Cicero, non potuit non & ipſe in ſapientiæ ſtudia ferri, ſuique ingenii vim, quæ ingens erat, ad arcana ſcientiarum extendere. Quod eo minus mirum videri debet, quia Philonem columnam Arceſileæ ſectæ, novæque Academiæ fulcrum ſtudioſe audivit, cujus etiam philoſophandi rationem lubenter eſt amplexus, quod homo occupatiſſimus in cau-

ſis forenſibus, inque negotiis Reipublicæ aſſiduus, videretur poſſe facilius de omnibus quæſtionibus cum probabili veriſimilitudine diſſerere, atque tempus cum voluptate tranſigere, quam unius ſectæ certis dogmatibus adhæreſcere, proque ipſis tanquam pro aris & focis pugnare. Satis autem ſibi non putavit eſſe philoſophorum libros gnaviter volvere, ſententias Platonis cognoſcere, Ariſtotelem penetrare, ad Zenonis porticum ſe conferre, de talibus opinionibus cum amicis conferre, & ſuaviter colloqui, niſi appuliſſet calamum ad facienda latina, quæ hactenus concluſa manſerant græcis fontibus. Nec exiſtimavit ſuæ dignitatis eſſe, ex græco latina facere vertendo. Quin libros texere voluit de variis argumentis, in quibus ſic ſe geſſit, ut nec ſermonis copia, & elegantia, nec ſententiarum pondere, aut argumentationum robuſta ſtructura quicquam Græcis concedere deprehenſus fuerit. Ut ſeſe in omnes partes vertit, ut pro ſua probabilitate ſtrenuus eſt, ut varia ex hiſtoriis admiſcet, ne labatur, quod ſuſtinet. Vide de Natura Deorum diſſertationes, inſpice de divinatione opus, lege ſedulus de legibus libros, in tuum ſuccum converte Academicas quæſtiones, ne præteri de Finibus enarrationes, verſare in Tuſculano, ut Tuſculanas ediſcas. Qualem fructum induſtriæ feres, qualè operæ reportabis pretium, quos theſauros congeres, quos flores leges ut ſedula apis. Nam ſi quis accuſet Ciceronem, quod vir conſularis ſapientia mentem excoluerit, aliosque erudire ſategerit, reſpondebit ipſe pro ſe in quæſt. Academ. *quaſi vero*, inquit, *clarorum virorum tacitos congreſſus*

eſſe

eſſe oporteat, aut ludicros ſermones, aut rerum colloquia leviorum. Tractatio philoſophiæ optimo atque ampliſſimo quoque digniſſima eſt, nec quicquam aliud videndum eſt nobis, quos populus Romanus in hoc gradu collocavit, niſi ne quid privatis ſtudiis de opera publica detrahamus. Sic ſe excuſat doctiſſimus Pontifex Pius ſecundus, dum geographicos exarat libros, ſibi enim licere temporis aliquam partem, qua vacat à negotiis diurnis, nocturnæ impendere lucubrationi. Sed ſupervacaneum eſt tueri Ciceronem, cum totus propè liber de initio & progreſſu philoſophiæ apud Romanos tali defenſione fungatur. Nobis profecto qui in Etruria ſumus, ſuppetunt clariſſimorum civium Florentinorum exempla, qui cum Rempublicam regerent & ſuſtinerent pondus ingentium curarum, frequenter tamen philoſophabantur, erudita voluptate animum ſublevantes. Tales fuerunt Vidus Cavalcantius, Dantes Aligerius, Diecetus, Bartholomæus Cavalcantius, Oricellarius, Victorius, aliique. Ipſe magnanimus Franciſcus Etruriæ Magnus Dux peritus linguæ græcæ atque latinæ quandoque conquieſcebat in ſinu doctrinarum, in gremio philoſophiæ. Referunt autem eum aliquando Profeſſor ei librum latine verſum ex Græco obtuliſſet dicens, ſe hac opera functum, ut ipſe poſſet auctorem legere, reſpondiſſe eruditum Principem, ſe non adeo hoſpitem eſſe in lingua Græca, ut volumen Græcum non intelligeret. Pedem refero ad Ciceronem, cujus gloriæ ſequens epigramma adſcriptum volo:

Dogmata conglomerent alii, decretaque cudant,
Inſolito nec ament tramite ferre pedem,

Dum Cicero, quo non facundior extitit ullus,
Socratico pulchrum temperat ore Sophos,
Et modo per Stoam magni Zenonis alumnus
Ambulat, atque celer per Paradoxa ruit.
Nunc cum Pythagora numerando conſtruit orbem,
Mox ab Ariſtotelis Syrmate multa trahit.
O decus æternum Arpini, ſplendorque Quiritum,
Quem Latium extollit, Grajugenæque colunt;
Te ſequor impavidus, quo me tua ſubvehit ala,
Et lentum patior repere vulgus humi.

Cap. XXXVII.

De Pompeji erga Philoſophiam propenſione. Agitur ſimul de Poſſidonio, Cratippo, Q. Valerio.

NE mutila mancaque ſit, de ſuſcepta materia tractatio, exerat, imo attollat venerabile caput magnus Pompejus, cujus ingentem erga myſtas ſapientiæ humanitatem non prætermiſerunt hiſtorici. Plutarchus ſane ſcriptum reliquit eum, cum Rhodi adeſſet, profeſſores liberalium ſtudiorum audiſſe, quin cuique talentum dono dediſſe. Poſidonium præcipue coluit. Hinc narrat ille ipſe literis ad Hermagoram datis ſe à Pompejo auditum, recenſetque, quænam tunc in prælegendo quæſita, expoſitaque fuerint. Apud Ciceronem autem in ſecundo Tuſculanarum hæc habentur: *Narrare ſolebat Pompejus ſe cum Rhodum veniſſet decedens ex Syria, audire voluiſſe Poſidonium, ſed cum audiviſſet*

eum

eum graviter eſſe ægrum quod vehementer ejus artus laborarent, voluiſſe tamen nobiliſſimum philoſophum inviſere. An vero excidit ſuo voto Pompejus nihilque audivit ex ore diſſerentis? imo generoſus philoſophiæ antiſtes non commiſit, ut fruſtra tantus vir ad ſe veniſſet, cubansque oſtendit, nihil eſſe bonum, quod non ſit honeſtum.

Illud quoque recenſet Plutarchus, quod cum fugeret Pompejus è Mitylene in portum deſcenderit Cratippus, ad quem converſus Pompejus, aliquid de providentia ingeſſit, ut forte intelligeret, cur permiſiſſent Dii cauſam, quæ libertatem patriæ tuebatur, ſuccubuiſſe? ſedulo quæſtionem declinavit Cratippus, breviterque innuit ob reipublicæ mala debuiſſe rem Romanam in abſolutam dominationem labi. Quod alii quoque tradiderunt, atque inprimis Tacitus, in primo Annalium, dum ait interfuiſſe pacis, ut cuncta ad unum referrentur.

Hic eſt ille Cratippus, quem præceptorem habuit filius Ciceronis, cujusque per honorificam facit mentionem ipſe Cicero ſtatim in principio librorum de officiis.

Sed ſi adeo favebat philoſophiæ Pompejus, cur Q. Valerium, virum philoſophum, eruditione florentem interimi juſſit, quod Syllanæ adverſaretur factioni, cum tamen cum ipſo collocutus fuiſſet, factis quibusdam ſpatiis?

Retulit quidem hæc Plutarchus, ſed non approbavit tanquam vera. Cur ita? quia Oppius Pompejanæ gloriæ infenſus, & Cæſaris ex aſſe addictus retulit. Par autem eſt, ut talis hominis fides ſit ſuſpecta, cum

veriſimile ſit ab ipſo omnia conquiſita, ut obtrectaret ſummo homini, quem vix credere eſt ſeſe voluiſſe doctiſſimi viri ſanguine polluere. Viderit igitur lector, an narratio Oppii à Plutarcho prolata ſit in diſcrimen danda? quin ejusmodi calumnia in ventos abire juſſa recitemus Epigramma commendans non tralatiam Pompeji erga profeſſores ſapientiæ benevolentiam.

Siccine qui terras ingenti nomine comples,
Bellaque, victurus pontica regna, geris;
Haud dubitas facilis Sapientum inviſere cœtus,
Lenis & Auditor diſcere grande Sophos?
Macte animo tali. Nam te faviſſe lyceo,
Atque Academiæ, poſtera ſecla canent.

CAP. XXXVIII.

De M. Catonis philoſophia, & ſapientia non pauca.

EXultat, ſeque jure merito jactat philoſophia, quando Cato Uticenſis memoratur. De eo ut loquamur illud in primis quærendum: quos audiverit, quosque habuerit præceptores? Reſpondet Plutarchus Catonem operam navâſſe Antipatro Tyrio Stoicæ diſciplinæ profeſſori, quem etiam ſibi admodum reddidit familiarem, amplexatus omnem virtutis ſpeciem, ſectatusque civilia atque moralia præcepta. Antipatro Tyrio addendus Athenodorus cognomine Cordilio, itidem Stoicus. Sed audiamus Plutarchum: *Cum audiviſſet* (Cato) *Athenodorum cognomine Cordilionem Stoicæ diſciplinæ homi-*

hominem Pergami commorari, jamque ſeneſcentem Regum Principumque familiaritates refugere non putavit Cato per litteras, atque nuncios quicquam ſe profecturum, ſed cum per leges ei duos menſes abeſſe liceret, transgreſſus in Aſiam hominem adiit, flexitque ejus animum, & ex ſententia dejecit, effecitque, ut ſe in caſtra ſequeretur lætus atque gloriabundus, velut ingentem adeptus palmam, & multo clariorem, quam aut Pompejus, aut Lucullus, qui tunc univerſi orbis Reges, nationesque ſubigebant. Hæc Plutarchus, cui concinit Plinius lib. VII. cap. XXX. dum ſcribit : *Cato Uticenſis ex tribunatu militum philoſophum deportavit.* Addit alium ab eodem relatum ex legatione Cypria, quem ſuſpicari licet fuiſſe Antipatrum Tyrium, nam duobus philoſophis vacaſſe Catonem affirmant pariter Plutarchus & Plinius. Sed Antipatrum & Athenodorum recenſet Plutarchus. Unde colligere fas eſt, quantopere amaret cum philoſophia philoſophos quamque cupide ſtudio Sapientiæ incumberet, quod amplius diſcere lubet ex iis, quæ ſequuntur. In Tertio de finibus ſic Tullius: *Vide M. Catonem ſedentem in bibliothecis multis circumfuſum Stoicorum libris.* Adjicit fuiſſe in eo inexhauſtam legendi aviditatem, quam non poterat ſatiare. In ipſa namque Curia ſolebat ſæpe legere, ut propterea ab eodem Cicerone meruerit dici : *Helluo librorum.*

Cum autem interdiu vacare non ita commode poſſet philoſophis, eos ad cœnam invitabat, detinebatque inter philoſophicos ſermones in multam noctem, & quandoque usque ad auroram. Hinc diſce-

re eſt fas eſſe in menſa philoſophari, ſi menſæ accumbant viri docti. Qua de re non ſinunt nos Plato, Xenophon, Macrobius, Athenæus, ipſeque Plutarchus ambigere. Quid enim prohibet ſeveritatem philoſophicam convivali hilaritate temperare? Ergo ne tam ſerii ſeverique ſint Stoici, ſi Cato Stoicam ſectam profeſſus ſcivit hilaris eſſe.

Is ipſe tamen extra cœnas videtur nimis auſterus fuiſſe, quod fatetur Seneca, qui tamen optat Catonem eligi tanquam exemplar perfectum virtutis. Audi ejus verba: *Elige Catonem, ſi hic tibi videtur nimis rigidus, elige remiſſioris animi virum, Lælium.* In eandem ſententiam Cicero in oratione pro Muræna poſtquam recitavit Stoicos docere ſapientem gratia nunquam moveri, nunquam cujusquam delicto ignoſcere, neminem miſericordem eſſe, niſi levem, viri non eſſe neque exorari, neque placari, atque alia plura, ſubjicit: *Hæc hominem ingenioſiſſimum M. Catonem auctoribus eruditiſſimis inductum arripuiſſe non diſputandi cauſa, ſed vivendi.* Vitam porro Catonis ſic exprimit: *petunt aliquid Publicani? cave quicquam habeat momenti gratia. Supplices aliqui veniunt, & calamitoſi? ſceleratus, ac nefarius fueris, ſi quicquam miſericordia adductus feceris.* Plura ibi lege ejusdem monetæ, quæ tamen prolata ſunt à Cicerone non tam quod prorſus ſic ſe res haberet, ſed potius ut cauſæ inſerviret. Promovebat autem petitionem Murænæ, qui vehementer à Catone oppugnabatur. De Catone porro non omittenda verba Senecæ, quibus rurſus eum, ut typum ſapientiæ proponit: *philoſophia modeſte tractanda eſt, & tranquille. Quid ergo, inquis?*

quis? videtur tibi M. Cato modeſte philoſophari,° qui bellum civile ſententia ſua reprimit.

Illud etiam de tanto viro proferendum, quod moriturus, ſeque ſubtracturus manibus hoſtium bis Phædonem Platonis, ubi agitur de animorum immortalitate legerit, mox alto ſomno ſopitus, ut prorſus inconcuſſus & non turbatus etſi conſtituiſſet ſe vita mox ſpoliare. Lucanus profecto tanti facit auctoritatem Catonis, ut eam amarulenta ſententia audeat Deorum ſententiæ opponere dum ait:

magno ſe judice quisque tuetur,
Cauſa Diis victrix placuit, ſed victa Catoni.

Nos autem ejus memoriæ, puſillum offerimus epigramma.

Quod tibi, magne Cato, ſtatuam templumque, melosque
Quos pangam numeros, ut tua regna canam,
Impavidæ imperium mentis, ceſſuraque nullis
Sceptra Tyrannorum faſcibus, atque minis?
Languida prægrandi ſub pondere Muſa labaſcit.
Et merito ingenium ſe minus eſſe videt.

Sed quæret aliquis, cur tanti fecerit Phœdonem Platonis Cato, cum Stoicus eſſet, atque adeo non prorſus eſſet ei certa de immortalitate animorum ſententia? reſpondere eſt, pleroſque Stoicos ſenſiſſe ſaltem animas magnorum virorum ſupereſſe, & permanere usque ad mundi conflagrationem. Adde neceſſe non eſſe ut Cato, quamvis Stoicus eſſet, in omnibus Stoæ adhæreret, quod in aliis quoque obſervavimus. Panætius profecto inſignis philoſophus, admirator Platonis, adverſus Platonem contendebat animos eſſe morta-

mortales, ut narravimus ex Tullio, cum de duobus ageremus Panætiis.

Id quoque antequam à Catone diſcedamus obſervare eſt cum Plinio, magnam deprehendi diverſitatem in Catone Cenſorio & Uticenſi. Nam ille ut refert etiam Plinius lib. VII. cap. XXX. cenſuit legatos eſſe dimittendos, quoniam *Carneade argumentante, quid veri eſſet haud facile diſcerni poſſet.* Imo *univerſos ex Italia Græcos pellendos cenſuit.* At iſte ejus pronepos non attigit tantum, ſed perdidicit Græcorum arcana philoſophica, philoſophosque peramanter fovit. O morum immutationem. O inſtitutorum humanorum varietatem. O diſſidium propenſionum. In diverſas abeunt, contrariasque prorſus ſententias viri graviſſimi, quando de rebus maximi momenti agitur, & erit quisquam, qui reprehendat Ariſtotelem, quando putavit de moribus diſſerendum populari, craſſaque Minerva?

CAP. XXXIX.

Agitur de diſputatione habita à Catone cum Cicerone. Proferuntur nonnulla de primo Domeſtico.

A Catone nondum poſſum avelli, quandoquidem in Tertio de finibus præclaram habet diſputationem cum Cicerone, qui tamen Stoicos non ſequebatur. Incidit autem Tullius in Catonem, cum è Tuſculano ſe contuliſſet in villam Luculli, ut ex ejus Bibliotheca promeret aliquos libros

libros Ariſtotelicos. Sed obierat Lucullus ille Aſiæ domitor, relicto filio, cujus curam magnam habebat ex Teſtamento idem Tullius.

Cum porro Cicero dixiſſet veniſſe ſe, ut auferret quosdam commentarios Ariſtotelicos, ait Cato: *Quam vellem ut te ad Stoicos inclinaſſes*: Prorſus enim Stoicis erat addictus Cato, quod ſuperiori capite jam narravimus. Reſpondet Cicero in verbis potius eſſe diſſenſionem, quam in ipſa re. Et profecto, qui varias ſectas philoſophorum inter ſe conciliare conantur, ſolent frequenter dicere, non in re principes ſectarum philoſophicarum diſſentire, ſed altercari ſæpe de verbis; quod neceſſe eſt proferri ab iis, qui concordiam inter Platonem & Ariſtotelem nobis pollicentur.

Pronunciat deinceps Cato eos qui ſine ulla doctrina, naturam ſecuti multa laudabilia, fecerunt, ſenſiſſe nihil habendum in bonis præter honeſtum, nihil in malis, præter turpe. Subjungit, ſi ſemel ſtatuamus id ſolum bonum eſſe, quod honeſtum, nullo modo probare nos poſſe beatam vitam virtute effici.

Et profecto ſi ſapiens miſer eſſe poteſt, cur datur opera philoſophiæ? philoſophamur enim ut beati evadamus. Quod ſi conſecuti ſapientiam, adhuc poſſumus eſſe infelices, oleam & operam in excolenda philoſophia amittimus.

Idem Cato poſtea ſuſcipit totam ſententiam Zenonis, & Stoicorum exponendam, remque altius repetit.

Cum vero fateatur animal ſimul ac natum eſt ſibi ipſi commendari ad ſe conſervandum, & averſari ea

quæ

quæ interitum adferunt, negat propterea in ejuſmodi principiis naturalibus collocandam eſſe voluptatem, ne ſi voluptatem natura poſuiſſe in iis rebus videatur, multa turpia ſequantur.

Receptum autem eſt apud philoſophos, ut illud, ad quod animal ſtatim à natura fertur, vocetur primum Familiare ſeu Domeſticum, ut eſt videre apud Alexandrum Aphrodiſæum libro ſecundo de Anima.

Quod detur primum domeſticum ex eo colligitur, quia ſi eſt aliquod ultimum appetendum, aliquod etiam ejus oportet dari principium. Stoici autem, etſi non omnes, ajunt primum domeſticum eſſe animal ipſum ſibi. Unumquodque enim animal, ubi natum eſt, ſibi domeſticum fieri, & ipſum quoque hominem. Quod exponit Cato apud Ciceronem, licet nomine primi domeſtici non utatur.

Alii dicunt ad conſtitutionem & conſervationem noſtram nos, ubi in lucem editi ſumus, accommodari.

At voluptas primum domeſticem viſa fuit ſimpliciter Epicureis, qui progreſſu temporis hanc voluptatem corrigi exactius atque emendari dixerunt.

Megarici primum domeſticum aſſerunt eſſe vacationem à perturbationibus & moleſtiis, Academici vocationem lapſus & erroris.

Secundum Ariſtotelem ejuſmodi domeſticum eſt, unusquisque ſibi, cum nullos præ nobis amemus. Maxime enim quisque à ſeipſo amandus eſt. Sed de

ſen-

ſententia Peripateticorum vide plura apud Alexandrum præcipuum Ariſtoteleæ philoſophiæ interpretem.

Cap. XL.

De profectu philoſophico Pomponii Attici. An Philoſophia neceſſario cum eloquentia ſit conjungenda?

POmponium Atticum inter columnas Romanæ ſapientiæ non præterimus. Præit nobis Cornelius Nepos in ejus vita. *Principum philoſophorum ita percepta habuerat præcepta, ut his ad vitam agendam, non ad oſtentationem uteretur.* Quam ſectam eſt ſecutus? videtur multum tribuiſſe Epicureæ, cum tamen optimis præditus fuerit moribus, ut nequaquam ex opinionibus ſemper de moribus ſit pronunciandum. Quamvis non deſint, qui vitam moresque Epicuri & Metrodori ut inculpatos tueantur. Sed audiamus Atticum apud Ciceronem in V. lib. de Finibus de ſeipſo loquentem: *Ego, quem vos, ut deditum Epicuro inſectari ſoletis, ſum multum equidem cum Phædro, quem unice diligo, ut ſcitis in Epicuri hortis, quos modo præteribamus.* Ibidem legimus quod Pomponius ſic ſe Athenis collocaverit, ut eſſet penè unus ex Atticis, & nomen inde habuerit. Cum autem Cicero quod minus eloquenter ſcripſiſſet, Epicurum contemnere viſus fuerit, Pomponius autem aliter ſenſerit, imo Lucretius & Seneca, videamus an neceſſario cum eloquentia ſit conjungenda philo-

philoſophia? id affirmes, ſi cogites Peripateticos & Academicos habuiſſe conſuetudinem de omnibus rebus in contrarias partes diſſerendi, quod eſſet ea maxima dicendi exercitatio. Philo profectò, quem ſe audiſſe teſtatur Tullius inſtituit alio tempore Rhetorum præcepta tradere; alio philoſophorum. Quam diſerti fuerunt plerique omnes, quorum ſcripta de philoſophiæ arcanis ad nos pervenerunt. In adverſam partem cogitare licet Arabes, apud quos ſolos viguit ſexcentis, & pluribus abhinc annis philoſophia, fuiſſe artis oratoriæ expertes, quod eorum ſignificant libri. An quicquam, quod ad robuſtam rerum cognitionem facit, requirimus in Algazele, Avicenna, Averroe? Pythagoræi multa de rerum natura exararunt abſque apparatu elegantis dictionis. Quam doctus eſt liber Salluſtii Philoſophi de Diis & orbe, qui tamen ob brevitatem non commendatur à copia dicendi. Quid quod robur rationum non in multis verbis ſitum eſt, ſed in nexu argumentationis. Nonne ſatis conſtat Rhetorum propria eſſe probabilia, argumenta? ſed profunda veritatis cognitio colores rejicit, fucum ſubmovet, ſynonima reſpuit, demonſtrationes autem ſtudioſe conquirit. Cur etiam ſummus vir Ariſtoteles in Acroamaticis putavit parce eſſe loquendum, & populares cogitationes eſſe miſſas faciendas? Erit, qui non contentus his omnibus, quæ pro ſimplicitate philoſophica conſtruxi, clamet ſuſpectum debere eſſe, quicquid in hac cauſa commentus eſt Cicero, cum orator foret, qui libro primo de legibus non ambegit contemptim loqui de hiſtoricis Romanorum antiquis, quod ſimpliciter res geſtas

abſque

abſque congerie concionum literis mandaſſent. Amat nempe unusquisque maxime commendare ea, quibus excellit, cæterosque ſuperat.

Quid nobis in hoc diſſidio, tantaque controverſia, inter ſeſe certantibus magnis hominibus pronunciandum? ſubjiciatur res tota lectoris arbitrio.

Cap. XLI.

Aſtronomiæ peritiſſimum fuiſſe I. Cæſarem Dictatorem.

PHiloſophis cogimur accenſere Julium Cæſarem Dictatorem, nam Aſtronomiæ peritiſſimus fuit, & numerum ſiderum latine perſcripſit, ut ait Julius Firmicus. Faſtos enim correxit, jam pridem per intercalandi licentiam vitio Pontificum adeo turbatos, ut neque meſſium feriæ æſtati, neque vindemiarum autumno competerent, annumque ad curſum ſolis accommodavit, ut trecentorum ſexaginta quinque dierum eſſet: & intercalario menſe ſublato, unus dies quarto quoque anno intercalaretur, ut narrat Suetonius in Cæſare cap. XI. & Plutarchus in ejus vita, qui inquit Cæſarem rem propoſuiſſe diſcutiendam inter philoſophos præſtantiſſimosque Mathematicos, & propriam quandam emendatiori cum diligentia viam demonſtraſſe.

Tantum profecto ſibi gloriæ ex hujusmodi emendatione paravit, ut ſint, qui pronuncient, Cæſarem magis glorioſum eſſe ob annum emendatum, quam imperium conditum.

Ipſe ſe jactat apud Lucanum ſiderum cognitione, & anni emendatione.

Sed tamen & veſtri media inter prœlia ſemper
Stellarum, cœliqne plagis, ſuperisque vacavi,
Nec meus Eudoxi vincetur faſtibus annus.

Subjicit ſe philoſophiæ eſſe cupidiſſimum, quandoquidem deſiderat ſcire Niliacam originem ait enim:

Sed cum tanta meo vivat ſub pectore virtus
Tantus amor veri, nihil eſt quod noſcere malim
Quam fluvii cauſas per ſecula tanta latentis.

Hæc Cæſar apud Lucanum. Animadvertendum porro minus recte ab Ammiano Marcellino lib. II. anni emendationem tributam Octaviano Auguſto, quod repugnat reliquis ſcriptoribus. Nam etiam Servius ad V. æn. ſic ſcribit: *annum primo Eudoxus, poſtea Hipparchus, deinde Ptolomæus, ad ultimum Cæſar deprehendit.* Addit idem Marcellinus correctam inconſtantiam annorum *ſpatiis duodecim menſium, & ſex horarum magna deliberatione collectis.* Idem explicat, cur ſacerdotes errarent in intercalando: *gratificantes*, ſcil. *publicanorum* vel litigantium commodis, ad arbitrium ſuum detrahebant tempora, vel augebant.

CAP. XLII.

An Juris-Conſulti Romæ florentes fuerint Stoicæ Sectæ addicti, quia exquirebant vim verborum? rejicitur ſententia viri docti.

Non

NOn deeſt inter recentiores vir eximius, qui exiſtimat ea etiam de cauſa debere nos dicere Juris-Conſultos præcipue Stoicæ Sectæ fuiſſe ſequaces, quia anxie exquirebant vim vocabulorum, eorumque originationi perdiligenter incumbebant. Nam Juris-Conſultos fuiſſe ſollicitos de verbis teſtatur Tullius lib. IV. de Republ. apud Nonium, dum inquit: *Admiror nec rerum ſolum. ſed verborum etiam elegantiam.* Idem teſtatur Greg. Thaum. Panyg. ad Orig. de leg. Rom. de Stoicis porro hæc ſunt apud Senecam Ep. 88. *Philoſophi* (ſcilicet Stoici) *quantum habent ſupervacui, quantum ab uſu recedentis? ipſi quoque ad Syllabarum diſtinctiones & conjunctionum, & præpoſitionum proprietates deſcenderunt.* Iidem originationes verborum exquirebant. Cicero lib. I. de off. *Audeamus imitari Stoicos, qui ſtudioſe exquirunt, unde verba ſint ducta.* Idem tribuit Antiſtio Labeoni Gellius lib. 13. cap. 10. *Latinarumque vocum origines, rationesque percalluerat, eaque præcipue ſcientia ad enodandos plerosque Juris laqueos utebatur.*

Sed hæc nequaquam oſtendunt Juris-Conſultos fuiſſe Stoicæ Sectæ addictos. Nam ſic quoque poſſes dicere Platonicos fuiſſe Juris-Conſultos, quia integrum librum, Cratylum nempe de originatione vocabulorum ſcripſit Plato, neque ipſe Ariſtoteles ſprevit etymologias, quod videre eſt in libro de Cœlo, ubi agit de vocabulo Ætheris.

Neceſſitate autem quadam Juris-Conſulti ad exactam cognitionem vocabulorum contulerunt ſuam diligentiam, propterea quia legum ea ratio eſt, ut

ſemper quæratur, quid ſibi voluerit legislator. Legislatoris porro mens ex proprio ſignificatu vocabulorum colligenda eſt.

Adde omnis Juris-Civilis fuiſſe fontem leges XII. tabul. at illæ priſca lingua conſcriptæ non ita facile intelligi poterant à poſteris. Quapropter Labeo, qui Commentarium accuratum in eas exaravit, penetrare ſe coactus eſt in antiquorum vocabulorum ſignificationem, quod hodieque faciunt, qui XII. tabulas interpretantur. Ut vero pateat verum eſſe, quod de Labeone protulimus repetere quædam non ab re fuerit ex Gell. lib. XX. cap. I. Phavorinus profectò pronunciavit apud Sextum Cæcilium Juris-Conſultum, quem aliqui putant eſſe Africanum, in libro XII. tabul. animadverti quædam, aut obſcuriſſima, aut levia. Reſpondet illicò Cæcilius: *Obſcuritates non aſſignemus culpæ ſcribentium : Sed inſcitiæ non aſſequentium, quanquam ii quoque, qui quæ ſcripta ſunt, minus percipiunt culpa vacant. Nam longa ætas verba atque mores oblitteravit, quibus verbis moribusque ſententia legum comprehenſa eſt.* Hæc & plura Cæcilius, ubi etiam fit mentio Labeonis ſcribentis ad XII. tab.

Illud quoque cogit Juris-Conſultos vim verborum exquirere, quia ſtipulationes & verborum obligationes, ultimæ voluntates, legata nituntur proprietate verborum, quam proprietatem non parum juvat originatio. Hinc tam multa de legatis tertio, de auro, & argento legato depromuntur ad vim vocabulorum facientia. Hæc & hujusmodi ſi quis perpendeat, nequaquam dicet Juris-Conſultos antiquos,

&

& Labeonem fuiſſe Stoicos, quia exquiſiverunt vocabula.

CAP. XLIII.

Veteres Juris-Conſultos videri potius cum Platonicis & Peripateticis, quam cum Stoicis ſenſiſſe.

NOn nego aliquid à Juris-Conſultis translatum ad legum interpretationem ex Stoica diſciplina, cum enim Romæ vigerent Stoici, & neceſſe eſſet homines doctrinæ ſtudioſos in ipſos incidere, quid mirum ſi aliquid adhæſerit iis, qui legum cognitionem profitebantur, & de jure reſpondebant? illud aſſero peccare eos, qui putant Juris-Conſultos præcipue addictos fuiſſe Stoicis, & ex ipſorum decretis ſuas opiniones conformaſſe, & confirmaſſe. Etenim Civilis & forenſis vita longe majorem habet cum Ariſtotelica & Platonica philoſophia affinitatem, quam cum Zenonis ſchola. Certe in hac valde multa proferuntur, quæ leges evertunt minimeque ad rationem civilem faciunt. Docent Stoici, omnia peccata eſſe paria, *omne delictum ſcelus eſſe nefarium*, nec minus delinquere eum, qui gallum gallinaceum cum opus non fuerit quam eum, qui patrem ſuffocaverit. Hoc aures Juris-Conſultorum ferre nequaquam poſſunt. Sic enim differentia omnis pœnarum tolleretur, omneſque eodem ſupplicio, qui peccant, eſſent afficiendi, quo quid abſurdius dici poteſt?

Eſt Juriſprudentia ars æqui, & boni, ſed æquitas vix videtur habere apud Stoicos locum, qui etiam ſuis dogmatibus clementiam è medio tollunt. preces evertunt, non relinquunt ullum commiſerationi locum, quod colligitur ex iis, quæ paulo ante prompſimus.

Veniæ non permittunt nos velificari iidem Stoæ cultores. Sic Cicero loquitur de Catone Stoicos imitante in vita: *Fatetur aliquis ſe peccaſſe, & ejus delicti veniam petit, nefarium eſt facinus ignoſcere.*

Juris-Conſulti opinantur, & conjecturis nituntur, pronunciant ſæpe, hoc vel illud videri. Sed Stoicorum ſapiens nihil opinatur. Non putant dicendum: erraſſe aliqua in re aut deceptum.

Quæ perpendens idem Tullius commendat Peripateticos & Platonicos civilitati conſentaneos, dum ait: *Noſtri illi à Platone & Ariſtotele moderati homines, & temperati ajunt apud ſapientem valere aliquando gratiam, viri boni eſſe miſereri: diſtincta eſſe genera delictorum, & diſpares pœnas: eſſe apud hominem conſtantem ignoſcendi locum: ipſum ſapientem ſæpe aliquid opinari.*

Fuerit Juris-Conſultus, & Stoicus ſimul Tubero, & Tuberonem audiverit Labeo, an ideo Stoam inferes legibus Romanis? non te ſequar præeuntem. Leges XII. tabularum interpretatio prudentum, formulæ, judiciorum uſus, jura Magiſtratuum, & Civium Romanorum prius manârunt in luminis auras, quam quicquam de Stoicorum decretis Romæ explanaretur. Oſtendat quæſo, qui Juris-Conſultos

Stoi-

Stoicis annumerat ab ejusmodi Magiſtris immutata Jura Romana, & ab antiquo depulſa uſu.

Dices, Stoici dicunt natura omnes eſſe liberos, idem tradiderunt Juris-Conſulti. Sed & veteres Romani ſciverunt ante Stoicos ſervitutem per vim à bellis invectam. Nunquam autem eo rem deduxerunt Juris-Conſulti Romani, ut nollent quemquam eſſe ſervum, imo ſemper ſic diviſerunt homines, ut aſſererent alios eſſe liberos, alios eſſe ſervos. At Stoici ſuum effatum lubenter eo deduxiſſent, ut omnes homines juberent eſſe liberos, à quo ſine dubio abhorrebant aures Romanorum.

Si addas, natura ſua pecuniam non facere fructus, ſed uſuras ſolvi ex ſtipulatione, idque petitum à Stoicis, manaſſe ad Juris-Conſultos, reſpondebo Ariſtotelem extra Stoam id ipſum protuliſſe, & notius eſſe, quam ut à Stoa petatur. Certe apud Romanos ſemper in uſu fuerunt uſuræ, qui tamen nunquam exiſtimarunt ex pecunia pecuniam naſci ſecundum naturam. Opus enim induſtria eſt, ut nummis utamur ad emptiones, adque alios contractus, ſicque rem noſtram augeamus.

Cap. XLIV.

De Chaldæis Roma pulſis. De eorum diſciplina valde diligenter obſervata ſub Imperatoribus.

INcenſum philoſophiæ cum veniant Aſtrologi, alias dicti Chaldæi & Mathematici, dicendum nobis quatenus floruerint Romæ, aut tolerati ſint, vel prohibiti.

Valerius igitur Maximus lib. I. cap. III. ſic ſcribit: *C. Cornelius Peregrinus M. Pompilio Lænate, & Cn. Calpurnio Coſſ. edicto Chaldæos intra decimum diem abire ex urbe, atque Italia juſſit: levibus & ineptis ingeniis fallaci ſyderum interpretatione quæſtuoſam mendaciis ſuis caliginem nutrientes, injicientes.* Videtur id edictum factum anno ab VC. IↃLXXX. in eum namque incidit conſulatus M. Pompilii Lænatis, licet ibi non appareat ſimul nomen Cn. Calpurnii.

Miretur autem quis Valerium Maximum retuliſſe ſub Tiberii Imperio ejusmodi edictum, cum ipſe Imperator peritiſſimus eſſet Chaldaicæ ſcientiæ, eamque didiciſſet à Traſyllo.

Nemo profecto neſcit ſub Principibus cum cætero qui langueret philoſophia, viguiſſe ſideralem ſcientiam, quia cum omnia redacta eſſent ad Principatum, & unius potentiam lubenter indagabant Romani, ipſique Cæſares, quis imperaturus foret, quamdiu victurus, quando moriturus, & quomodo. Tiberius quorum genituram deprehendiſſet regiam, & magna ſpondentem, iis, ne pertingerent ad Principatum inſidias ſtruebat, & exitium.

Agrippinæ Matri Neronis dictum fuit filium ejus imperaturum, à quo tamen eſſet occidenda. Hinc erupit in illa verba: occidat dum imperet.

Quid memorem eos qui dixerunt Othoni, annum illi illuſtrem fore? quo vaticinio ex ſideribus petito ad rapiendum imperium impulſus eſt.

De Veſpaſiano ſic ſcribit Suetonius cap. XXV. *Convenit inter omnes tam certum eum de ſua, ſuorumque genitura ſemper fuiſſe, ut poſt aſſiduas in ſe conjuratio-*

rationes auſus ſit affirmare Senatui, aut filios ſibi ſucceſſuros, aut neminem.

Illud mirabilius, quod eſt apud eundem hiſtoricum in Domitiano cap. XV. *Nulla tamen re perinde commotus eſt, quam reſponſo, caſuque Aſcletarionis Mathematici. Hunc delatum, nec inficiantem jactâſſe ſe, quæ providiſſet ex arte, ſuſcitatus eſt quis ipſum maneret exitus, & affirmantem fore, ut brevi laceraretur à canibus, interfici quidem ſine mora, ſed ad coarguendam temeritatem artis, ſepeliri quoque accuratiſſime imperavit, quod cum fieret, evenit ut repentina tempeſtate dejecto funere, ſemiuſtum cadaver diſcerperent canes.* Hæc ibi.

Cum igitur tantopere dediti eſſent Romani Genethliacis obſervationibus, mirum non eſt ſi auguralis, & aruſpicina non tanti amplius factæ ſunt, & obſervatæ, ut olim ſub Republica obſervabantur accuratiſſime. Nam auguralis & Aruſpicina proxima tantum & imminentia pandit, at Sideralis præ omnibus divinationum ſpeciebus longinqua & remota explicat, eruitque.

Cap. XLV.

De ſtatu Chaldaicæ diſciplinæ ſub Imperatoribus plura.

AN pulſos putamus Roma ſub Domitiani Imperio Mathematicos, & Chaldæos? Non affirmârim, quia nomine philoſophorum non veniunt apud Scriptores Chaldæi & Genethliaci. Sic

ergo æſtimata eſt Chaldaica profeſſio, ut de ipſa accuratiſſimum opus ediderit Ptolomæus Alexandrinus, qui floruit ſub Marco Antonino. Certe ſi tunc vetita fuiſſet ars, non ei tantam diligentiam impendiſſet vir ſummus, niſi velis recurrere ad verba Taciti de Mathematicis: *genus hominum, quod in civitate noſtra ſemper vetabitur, & ſemper retinebitur.*

Imperatores porro Diocletianus, & Maximianus, ut eſt C. de Maleficis l. II. edixêre, *artem Mathematicam damnabilem eſſe, & interdictam omnino.* Julius tamen Firmicus, eam quoque ſuis libris illuſtrare conatus eſt temporibus Conſtantini. Nam ſub Imperio Theodoſii Manilium non ſcripſiſſe, ſed extitiſſe ſub Auguſto cum de ipſo agemus, oſtendemus.

Diſſimulandum interim non eſt, videri ſemper capitale fuiſſe inquirere de vita Principis, quæ cauſa eſt, ut putem dixiſſe Firmicum Principis genituram nequaquam ſiderum poſituræ obnoxiam eſſe. Quia ſcilicet Firmicus voluit profeſſorem ſibi cavere ab indagatione genituræ Principis. Quamvis ſciam Cardanum eo rem deducere, ut doceat genituram Regum pendere à momento, quo conditum eſt aliquod imperium, vel regnum.

Vates certe videtur fuiſſe Tacitus, dum dixit Chaldaicam artem Romæ ſemper vetandam, ſemperque retinendam. Nam non unus ex ſanctiſſimis Pontificibus ſeveriſſime edixerunt contra hujusmodi profeſſores, opus tamen fuit renovare talia edicta, ut renovata ſunt prudentiſſime à Sanctiſſimo Urbano VIII. cur ita? quia nunquam potuit ſatis vetari in hujusmodi urbe, in qua omnibus patet aditus ad magnas dignitates.

CAP.

Cap. XLVI.

De M. Favonio, æmulo Catonis, Stoicisque addicto.

IN theatrum philoſophicum prodi nunc generoſe Favoni, quem juvit ſequi caſtra Caſſii, & Bruti pro libertate Patriæ pugnantium. Felicem te voco, dum propoſitum conſtantiæ, & laudis plenum reſpicio, infelicem, dum exitum prœlii Philippenſis intueor. Sed lubet audire quid locupletes ſcriptores de te prodiderint. Valerius Maximus, libro ſecundo, cap. ultimo, quod ſumma benevolentia, artaque amicitia fueris Catoni conjunctus teſtatur diſerte. Quod Zenonis Stoam ambiveris, colueris non tacet Tacitus, in XVI. Annal. his verbis: *iſta ſecta* (Stoica) *Tuberones & Favonios genuit*, contumaces ſcilicet, quod Tyrannis non lubenter collum ſubmiſerint. Tu vero non pœnitendus rigidæ ſeveræque ſapientiæ myſtagogus victus, & captus in prœlio Philippenſi non illibenter patriæ conclamatæ ſanguinem impendiſti, & jamjam occidendus liberas voces in Auguſtum effudiſti. Sic enim Suetonius in vita Auguſti: *Quare cæteri, & in his M. Favonius ille Catonis æmulus cum catenati producerentur, Imperatore Antonio honorifice ſalutato, hunc fœdiſſimo conuitio coram proſciderunt.* Hinc tuam memoriam non dubitavi exiguo, tenuique epigrammate proſequi, quamvis ingens & tornatum merereris carmen:

Tu quoque pro patria occumbis, generoſe Favoni,
Pro patria ſanguen fundere non dubitas.

Scili-

Scilicet hoc magnum Sophos eſt, odiſſe Tyrannos,
Nolleque ſervili ſubdere colla jugo.

Quid vero de Auguſto tui ſanguinis effuſore dicemus? ubi illa humanitas tantopere ſcriptoribus decantata, ſi jubet interfici Catonis æmulum, Stoica ſapientia imbutum? Seneca Clementiam, quam hiſtorici tribuunt Auguſto, laſſatam crudelitatem appellaret. Ego vero, qualia ſoleant per malam neceſſitatem in bello civili fieri etiam atque etiam cogito, ſimulque obitum tuum tam tragicum deploro Favoni.

Cap. XLVII.

De Auguſti erga philoſophiam, & Arium, Nicolaumque philoſophos affectu.

Expertem philoſophiæ fuiſſe Auguſtum non aſſeret, qui legerit apud Suetonium verba capite LXXIX. *Eruditione varia repletus, Sperarci philoſophi, filiorumque ejus Dionyſii & Nicanoris contubernium iniit.* In eandem rem Paulus Diaconus ſic loquitur lib. XII. dum laudat Theodoſium: *habuit à naturæ munere, quod Auguſtus à philoſophiæ doctore.* Adeo percrebuerat fama de Auguſto, quod operam dediſſet Magiſtro in philoſophia non indiligentem.

Ut vero didicit philoſophari à præceptore ipſe, ita omnes philoſophiæ vacare cupiebat, ſaltem Proceres, & Patritios, dum id permitteret ætas, permitteret negotiorum multitudo. Compoſuit namque, ut refert

refert idem Suetonius Cap. LXXXV. *hortationes ad philoſophiam.*

Philoſophia porro in Auguſto elucet ſplendidiſſime, quia ſumma eſt complexus benevolentia Arium Alexandrinum, in quam rem hæc prodeant. Julianus Imperator in Epiſtola ad Alexandrinos inquit: *fuit autem Arius iſte, civis quidem veſter, amicus autem Auguſti, vir philoſophia clarus.* Themiſtii quoque non negligendum eſt teſtimonium in orationibus, quo teſtatur gratiſſimum Cæſari extitiſſe Arium. Plutarchus in Antonio narrat tribus de cauſis ignoviſſe Auguſtum Alexandrinis, qui ſecuti fuerant Antonii partes. Ob Alexandri conditoris memoriam, ob frequentiam urbis, ob Arium philoſophum. Qua de re quid vetat hos fundere verſiculos?

Urbs quod Alexandri non perditur, hoc Ario
Imputat Auguſtus: tanti facit arbiter orbis
Arcanæ myſtam Sophiæ, Peithusque medullam.

Nunc aliqua referenda ſunt de affectu, quo ille ipſe terrarum dominus eſt Nicolaum Damaſcenum itidem philoſophum proſecutus. Sic Plutarchus in Sympoſiacis lib. VIII. quæſt. IV. *Imperator Nicolaum philoſophum Peripateticum ſingulari proſequens amore ſuavibus moribus hominem, gracili, & procero corpore, faciem plenam emicantis punicei ruboris, maximas, & pulcherrimas palmulas Nicolaos nominavit.* Concinit Plutarcho Athenæus libro XIV. (dico) *ab Auguſto Imperatore hoc nomen* (Nicolaos) *inditum, qui eo admodum delectabatur cibo, quod Nicolaus Damaſcenus ejus amicus palmulas ſæpius ad eum mitteret.*

Hic

Hic eſt ille Nicolaus, cui aliqui non dubitant tribuere librum de Mundo ad Alexandrum. Sed reclamant alii, qui Ariſtoteli non patiuntur detrahi opus. Sic ſentit Bonaventura Vulcanius, quem refutare conatus eſt Heinſius in orationibus. Pro Vulcanio ſtat Patritius, ſtant alii.

Quicquid autem ſit de ejuſmodi doctorum hominum diſſidio, ego non cenſeo fas eſſe uti tali libro, quaſi in eo germana prorſus Ariſtotelis dogmata in operibus acroamaticis expoſita contineantur. Quam vero bene de palmaribus ſententiis Stagiritæ mereatur recentior philoſophus, dum dicta Stagirica ad librum de mundo controverſum exigit, ipſe, ut acutus eſt, viderit.

Cap. XLVIII.

De Athenodoro, cui multum credebat Auguſtus.

Athenodorum, ut bonum virum, & honeſtum coactus eſt laudare Mæcenas in oratione apud Auguſtum, quæ recitatur à Dione. Ejus conſiliis Imperatorem auſcultaſſe refert Suidas. Fuit Stoicæ ſectæ Profeſſor. Omnibus rebus tam naturæ quam rectæ voluntatis extitit ad philoſophiam inſtructus, præfuitque aliquamdiu ſplendide diſcipulis à Salluſtio, qui hominem admirabatur igni ſimilis dictus eſt eſſe, propinqua omnia incendenti. Is tamen Athenodoro perſuaſit, ut non philoſopharetur quod factum videtur poſt Auguſti obitum ſub Tibe-

Tiberio. Etenim, ut eſt apud Suidam, cum Tiberius Auguſto in imperio ſucceſſiſſet, adulatores ab Imperatore muneribus, & honoribus affecti, maxima imperia invadebant. Viri autem boni, & quieti, qui vitam eandem non amplectebantur, non injuria dolebant eadem non ſibi tribui. Ita fiebat, ut urbes ſeditionibus, & tumultibus implerentur.

Sed quærere lubet, an in Athenæo doceret Romæ Athenodorus? quod videtur affirmandum quandoquidem dicitur ſplendide diſcipulis præfuiſſe. Sed ejusmodi præfectura videtur ſic accipienda, ut vel eam referas ad urbem Athenarum, ſi forte in ea ex Cathedra publica docuit Athenodorus, vel dicas ipſum domi Romæ docuiſſe philoſophiam, quem admodum Juris-Conſulti erudiebant juvenes non in publica ſchola, ſed domi ſuæ interpretabantur Jus Romanum. Neque enim videntur philoſophi antiquis præſertim temporibus docuiſſe philoſophiam Romæ in Atheneo, quod non lego extitiſſe. Sic Medici Alexandriæ cum non docerent publice, videntur itidem domi ſuæ præcepta artis tradidiſſe adoleſcentibus. Legimus enim magnifactos eos, qui Alexandriæ ejusmodi diſciplinam aſſecuti fuiſſent. In Athenodorum porro ſic lubet ſcribere:

Lubens Athenodoro
Auſcultat Imperator,
Mitisque frænat iram,
Nec diſſipat Quirites
Victos furore Martis.

Ergo Canora Vatum
Caterva Athenodorum
Extollat, inſeratque
Aſtris, choroqueDivûm.

Cum

Cum autem in Catone Uticenſi dixerimus Athenodorum Stoicum Pergamo adductum Romam, erit fortaſſe, qui putet hunc eundem poſtea innotuiſſe Auguſto, eique carum fuiſſe. Sed duos fuiſſe Athenodoros vix dubitandum videtur; nam Athenodorus ille Pergamo adductus à Catone jam tunc ſeneſcebat, teſte Plutarcho. Non ergo potuiſſet tamdiu ſupereſſe, ut verſaretur cum Imperatore Auguſto poſt profligata altera civilia bella. Sic ergo invenimus duos celebres philoſophos Stoicos ejusdem nominis, quod tamen obſervatum apud Interpretes antiquitatum Romanarum non memini.

Cap. LXIX.

De Athenæo & Xenarcho, qui floruerunt ſub Auguſto.

STatum philoſophiæ ſub Auguſto dum memoramus, præterire fas non eſt Athenæum è Seleucia Ciliciæ virum clarum in philoſophia Peripatetica, verſatum etiam in Republica, quandoquidem rexit ſuos cives. Is contracta cum Muræna amicitia cum illo fugiens captus eſt, cum inſidiæ contra Cæſarem Auguſtum deprehenſæ fuiſſent. Sed cum inſons eſſet inventus, à Cæſare dimiſſus eſt: Rediens autem Romam multis cum ſalutantibus, & interrogantibus illud Euripidis reſpondit: *Advenio ab imis atque cæcis inferûm Tenebris.*

Breve autem tempus ſupervixit, à ruina domus, ubi habitabat, per noctem oppreſſus. Hæc omnia leguntur apud Strabonem lib. XIV.

Nec

Nec omitti debet Xenarchus, cujus fuit auditor Strabo Geographus. Is elegit vitam docendi Athenis, Alexandriæ, & tandem Romæ; primum Arii, poſtea Cæſaris Auguſti amicitia uſus, usque ad ſenectutem in honore habitus, ſed paulo ante obitum viſu orbatus, morbo vitam conſummavit, quæ nobis tradita ſunt ab eodem Geographo lib. XIV.

Intelligimus ſi Xenarchus Romæ docuit ſub Auguſto, inque honore eſt habitus, non auſcultaſſe Auguſtum Mæcenati ſuadenti, ut miſſos faceret philoſophos tanquam ſeditioſos.

Sed iis, quæ hactenus tam de Athenæo, quam Xenarcho protulimus, addamus aliquid; non ſilentes Athenæum hunc non confundendum cum doctiſſimo medico ejusdem nominis, quem laudat, & citat Galenus in ſuis operibus, fuit & alius Athenæus Sophiſta Naucratita, de quo Suidas, quique librum eruditiſſimum Dipnoſophiſtarum compoſuit & evulgavit ſub Antonino.

Xenarchus autem etſi profiteretur ſe eſſe Peripateticum, non dubitavit tamen contra Ariſtotelem defendere, non dari quintam ſubſtantiam, diſtinctam à quatuor elementis. Qua de re multa profert ex Alexandro contra eundem Xenarchum Simplicius in primo de Cœlo.

Julianus Imperator in Orat. de Deûm Matre inducit Xenarchum differentem contra Ariſtotelem de quinto Corpore, & de Intelligentiis. Veriſimile autem eſt ſermonem eſſe Juliano de eodem Xenarcho. Nam ait ſe audiviſſe quendam Peripateticum ſolertem, ut Xenarchum. Is argumentabatur ex antiquo Xenarcho

contra Ariſtotelem. Scio aliter accipi verba Juliani ab eruditiſſimo Petavio, ſed mihi ejus non placet interpretatio.

CAP. L.

Quatenus Mæcenas apud Auguſtum commendarit, aut vituperaverit Philoſophos.

QVod Auguſtus non valde faverit philoſophis, id forte quis probaverit ex oratione Mæcenatis apud Dionem lib. LII. *Philoſophiam profitentes haud pauci faciunt (mentiendo hominibus rerum novarum tentandarum cauſam præbent)* veriſimile namque eſt Auguſtum ſecutum Mæcenatis conſilium, ut res ipſa teſtari videtur. Reſpondendum eſt, Dionem ipſum teſtari non in omnibus prorſus ſe ita geſſiſſe Auguſtum, ut ſuaſit Mæcenas. Addiderim mox Mæcenatem poſtquam locutus eſt de philoſophis, ſubjungere expertum fuiſſe Arium & Athenodorum bonos ac honeſtos viros. Interim negare non poſſumus cupiviſſe Mæcenatem ab Auguſto obſervari eos, qui ſe philoſophiæ nomine venditarent populo, dum inquit: *Cavere te jubeo* philoſophos. *Neque enim quia Arium & Athenodorum bonos ac honeſtos viros expertus es, omnes alios idem ſtudium præ ſe ferentes, ſimiles eorum judicare debes, quum hac ſpecie uſi multi, infinita mala populis, privatiſque hominibus adferant.* Quæ an revera Mœcenas protulerit, ambigere licet, ut licet de tota illa oratione, quam finxiſſe videtur Dio,

Dio, & tanto viro affinxiſſe. Loquitur enim cum Auguſto Mæcenas, ac ſi pædagogus inſtrueret adoleſcentem. Quam vero falſum philoſophos eo tempore conſueviſſe infinita mala adferre populis. Reſpexiſſe potius videtur Dio ad ſequiora & poſteriora tempora, in quibus reperire eſt querelas contra philoſophos.

CAP. LI.

De Strabone Geographo. Cui ſectæ fuerit addictus.

Te quoque commemorat, Strabo, Parnaſſia rupes,
Inque domos Superûm carminis ales agit.
Namque Auguſtæos auxiſti lumine faſces,
Doctaque claraſti tempora Romulidum,
Dum terras tractusque maris, monteſque ſinuſque,
Et dixti exacto cuncta fluenta opere,
Quod Phlegethonteus tunc correptum obruet humor,
Cum disjecta cadet Regia Cælituum.

Conſtat temporibus Auguſti floruiſſe Strabonem, qui cum doctiſſimum de Geographia reliquerit opus, ad philoſophiam Romanam debere ejus referri nomen, nemo ſanæ mentis infitias ibit. Nam quæ diſciplina orbem terrarum deſcribit, pars procul dubio philoſophiæ eſt, cum præſertim ſatis conſtet philoſophiæ haud ignavam navatam eſſe operam à Strabone. Audivit ſcilicet Xenarchum Peripateticum, ut ipſe teſtatur lib. XIV. cumque Boetho Sidonio ſe exercuit in eadem philoſophia Ariſtotelis, qua de re

non ſinit nos dubitare lib. XVI. ſuſcepit diſcendi videndique cauſa peregrinationem in Ægyptum atque alio. Philoſophorum autem prope proprium fuit comparandæ ſapientiæ cauſa orbem terrarum perluſtrare, qua de re libellum etruſco ſermone conſcriptum propediem evulgabo.

Si vero quæras, cui ſectæ philoſophorum addictus fuerit, video ambigi poſſe in danda reſponſione. Nam ſi præceptores habuit Peripateticos, & in Lyceo ſe exercuit, videtur inter Peripateticos recenſendus.

Sed alia ſunt, quæ ſuadere videntur eum fuiſſe Stoicum. Nam Zenonem lib. XVI. ſuum vocat, & alibi Stoicos noſtros. *Noſter*, inquit, *Zeno*, *noſtri Stoici*.

In primo libro aſſerit ſidera exhalationibus nutriri, quod proprium eſt Stoicorum, ut patet etiam ex Cæſaribus Juliani Imperatoris.

Alibi memorat Providentiam, quam profitentur, & agnoſcunt Stoici, non autem Peripatetici, quandoquidem Ariſtoteles in XII. Metaph. tradidit primum Motorem præter ſeipſum nihil noſſe.

Alio loco meminit fati, aſſeritque multa fieri fato, quorum cauſa reddi nequeat.

Quæ ſatis ſuperque oſtendere videntur Stoicum fuiſſe Strabonem. Nam potuit habere præceptorem Peripateticum, & deinceps approbare dogmata Stoicorum, cum alibi dixerim in hoc ipſo opere novum non eſſe, ut diſcipuli deſerant placita præceptorum.

Sed

Sed quid dicemus de Fr. Patritio, qui opus Geographicum, quod hodie extat, detrahit Straboni, tribuitque Stratoni, quem aſſerit vixiſſe ſub Tiberio, & ſcripſiſſe libros XVII. Geographiæ?

Puto decipi Patritium. Nam Plutarchus bis citat Strabonem in Hiſtoria. Strabo autem qui hodie legitur libro I. teſtatur ſe ſcripſiſſe hiſtoriam: Ergo Strabo, non Strato ſcripſit Geographiam. Adde interpretem Dionyſii Afri perpetuo citare Strabonem non Stratonem. Neque ullus usque at Patritium credidit Stratonem ſcripſiſſe libros Geographiæ, quos legimus.

Nec faceſſit negotium Suidas. Nam absque dubio ignarus aliquis librarius pro Strabo, ſcripſit Strato. Atqui ſcribendum erat Strabo. Nam memoraverat Strabonem Amaſienſem & Geographum. Scimus apud Suidam bis, aut ter deſcribi unum eundemque auctorem, quia idem Suidas ſua excerpebat vario tempore ex variis ſcriptoribus ſecundum ordinem Alphabeti.

At inquit Patritius, qui vixit ſub Tiberio, non potuit noviſſe Poſidonium Stoicum, diſcipulum Panætii. Reſpondeo, Strabonem nusquam dicere ſe noviſſe Poſidonium, tantum ait Poſidonium fuiſſe illo tempore eruditiſſimum philoſophum. Non autem eſt neceſſe, ut qui appellat aliquem clarum ſuo ſeculo, eum viderit. Nam ſeculum eſt ſpatium centum annorum. Non ergo recte accepit verba Strabonis Athenæus.

CAP. LII.

De M. Manilio, qui ſub Auguſto de Sphæra & ſideralis diſciplina ſcripſit. Rejicitur opinio Gevartii.

ASTronomicorum libros ſcripſit M. Manilius, cujus optimum exemplar depromptum fuit ex bibliotheca Palatina à F. I. & illuſtratum obſervationibus Joſephi Scaligeri, in quibus tamen videtur aliquando ſe corrigendo, & nonnulla invertendo gerere, more jam paſſim recepto. Neque enim quiſquam ſperat ſe poſſe de aliquo ſcriptore bene mereri, niſi multa ex proprio etiam judicio abſque ope manuſcriptorum immutet. Sed ad rem. Caſpar Gevartius, vir eruditus in ſuis collectaneis ad Statium auſus eſt Manilium ad tempora Theodoſii, & Arcadii referre, non dubitans aſſerere Manilium eſſe Manlium Theodorum, quem ſuis verſibus ornavit Claudianus. Sed ejusmodi effatum prorſus veriſimile non eſt. Etenim ſi quis accurate legat totam Aſtronomiam Manilii, nullum obſervabit veſtigium, quod tempora Theodoſiana ſapiat. Omnia vero concinunt temporibus Auguſtæis. Statim enim in principio dicit:

Nunc mihi tu Cæſar patriæ princepsque paterque;
Qui Regis Auguſtis parentem legibus orbem,
Conceſſumque patri mundum Deus ipſe mereris.

Quis neſcit Auguſtum appellatum patrem patriæ? nec Poëta vocaſſet Chriſtianum Imperatorem, Deum. Saltem hæc verba magis conveniunt Auguſto, quam

quam ulli alii. Sub finem porro ejusdem libri primi apertiſſime oſtendit ſe vixiſſe Auguſti ſeculo. Nam poſtquam locutus eſt de bello Actiaco, deque bello geſto contra filium Pompeji in Siculo mari, ſubjicit:

Sed ſatis hoc fatis fuerit, jam bella quieſcant.
Atque adamanteis Diſcordia cuncta catenis
Æternos habeat frænos in carcere clauſa.
Sit pater invictus patriæ, ſit Roma ſub illo,
Cumque Deum Cœlo dederit non quærat in orbe.

Quæ diſcordia tempore Theodoſii erat compeſcenda? recte enim diſcordiam appellat inter Cives, aut ſanguine junctos: nam bellum in externos non vocatur diſcordia. Si allocutus fuiſſet aut Theodoſium, aut unum ex filiis, debuiſſet narrare barbarica bella & ſubjicere:

Jam bella quieſcant.

Nec pronunciaſſet Imperatorem *Deum* eſſe datum cœlo. An etiam Chaldæorum diſciplina, in qua fatum aſſeritur, tolliturque arbitrii libertas, oblata fuiſſet Chriſtiano Cæſari, qui à talibus absque dubio abhorrebat? vide quæ habet Manilius lib. IV, p. 86. prorſus contraria pietati Chriſtianæ. At inquit, Gevartius, Manlius Theodorus de Sphæra ſcripſerat. Sit ita. At non ſcripſit de Chaldæorum diſciplina ſcrutante eventus hominum ex inſpectione ſiderum. Quam diverſum etiam eſt nomen. Noſter in omnibus exemplaribus appellatur M. Manilius. Ille *Manlius Theodorus.* Quis talia nomina inter ſe patiatur confundi, cum præſertim non præeant manuſcripti? ſed rurſus eſt moleſtus Gevartius, & ait eum

vocabulum, quanti, uſurpaſſe, pro quot, quod invaluit ſequiori ſeculo. Verum ex ſignificatu unius vocabuli paulo aliter accepti velle dubitare de ſeculo alicujus, Auctoris imbecillitatis eſt ſpecimen. Cum enim quantum ſignificet quantitatem continuam, mirum non eſt, ſi translatum fuerit ad ſignificandam diſcretam, & ipſe Manilius ſeculo quamvis Auguſtæo ſic uſurpaverit. Ipſe profecto Ovidius in multis ſuæ libertati indulſit, quæ tamen in auctoritatem ob vetuſtum ſeculum abiit.

Expedita de ſeculo, quo vixit Manilius, controverſia, tranſeo ad Epigramma, quo tantum poëtam, imo Aſtronomum proſecutus ſum:

Stellarum ſcrutantem ortus, obituſque tulerunt
Principis Auguſti tempora Manilium;
Qui caſus vitæ adverſos, curſumque ſecundum
Aſtris inſcribit, ſidereoque polo.
Inde etiam virtutis iter, præclaraque facta
Deducit, vitiis quin alimenta petit.
Nequicquam. Nam pulchra animum ſapientia munit,
Atque hominem impellit quo vocat arcta via.

CAP. LIII.

Magnum inſtar Philoſophiæ exiſtimaſſe Romanos eſſe Homerum.

HOmerum quiſquis primus intulit Romæ, næ ille magnum, imo præcipuum inſtar philoſophicæ ſapientiæ adportavit, ut nunquam caruiſſe philoſophia dici poſſit urbs domina gentium, poſtquam cœpit in ſuo fovere ſinu tantum ſcriptorem.

rem. Certe qui ſupra vulgus ſapere conabantur, in primis Homeri ſcripta ſibi cognoſcenda exiſtimabant. Ipſi Imperatores eum ſibi reddiderunt familiarem, ut è re nata ſententias ex ipſius poëſi depromere poſſent. Horatius certe lib. I. Ep. II. ait ſe Præneſte relegiſſe Trojani belli ſcriptorem:

Qui quid ſit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non

Planius, ac melius Chryſippo, ac Crantore dicit.

Plutarchus in libro de Homero: *Deprehendimus philoſophiæ initia ac ſemina Homerum ſcriptis ſuis inſerviſſe.*

Proſequitur deinceps multa, oſtendit putâſſe Homerum omnia orta ex aqua, dum dixit:

Præbuit Oceanus cunctis primordia rebus.

Xenophonius Colophonius dum aſſeruit principia rerum eſſe aquam & terram, videtur id hauſiſſe ex verbis illis:

Vos vero in terram cuncti redigamini, aquamque.

Proponit alia non pauca de philoſophia Homerica, quæ legi poſſunt magno cum fructu. Maximus Tyrius in ſuis diſſertationibus philoſophicis quam frequenter ſua tuetur dicta auctoritate Homerica. Quod facit quoque Themiſtius, qui ſic pronunciavit de divino viro, ut ipſum appellaverit *primum parentem, auctoremque Platonis & Ariſtotelis ſermonum.* Dionyſius autem vocat *verticem omnium, & quaſi ſcopum, ex quo cuncta flumina, cuncta maria, cuncti fontes.* Quintilianus: *in verbis, ſententiis, figuris, humani ingenii modum excedit: ut magni viri ſit virtutes ejus non æmulatione, quod fieri non poteſt, ſed intellectu ſequi.*

O 5 qui.

qui. Vellejus: *quod neque ante illum, quem ille imitaretur: neque poſt illum, qui eum imitari poſſet, inventus eſt.*

Apparet Syneſio ſummo viro perquam familiarem fuiſſe Homerum, ut propterea ab aliquibus Homericus appellatus fuerit.

Paucis dicam. Quemadmodum nos Chriſtiani familiares nobis reddimus Sacras litteras, & frequenter eas in ore habemus, ex quibus petimus probationem eorum, quæ probatione indigere videntur: Ita Romani, Græci, philoſophi, Oratores ſe tuebantur plerumque Homerica auctoritate, quod verum eſſe dubitare non poteſt, qui hoſpes non eſt in ſcriptis Veterum.

Quod protuli ut intelligeremus, non deſtitutam Romam philoſophia, ex quo cœpit habere, & cognoſcere Homeri divina ſcripta. Quid quod Strabo lib. I. inter philoſophos primum locum tribuit Homero, & Porphyrius ſcripſit librum, quo probat Homerum eſſe philoſophum, etſi liber ille perierit. Eat nunc Taſſonus, eat Floretus, eant alii & laxent habenas linguæ, conenturque Homerum, ut ignarum mendicabulum conterere & explodere.

Cap. LIV.

De Tiberii præceptore Traſyllo. An philoſophiæ operam dederit idem Tiberius?

Tiberius in ſiderali ſcientia, quæ eventus hominum ſcrutatur multum operæ & temporis collocavit, cum quaſi exul verſaretur in inſula

inſula Rhodò. Tunc exploravit, atque re ipſa deprehendit, quantus in hujusmodi diſciplina eſſet Traſyllus, ut propterea eum arcanorum ſuorum deinceps voluerit eſſe conſcium. Sed lubet Taciti verba audire in VI. Annal. *interrogatur* Traſullus, *an ſuam quoque genitalem horam comperiſſet, quem tum annum, qualem diem haberet. Ille poſitus ſiderum ac ſpatia dimenſus, hærere primo deinde paveſcere, & quantum introſpiceret, magis ac magis trepidus admirationis & metus, poſtremo exclamat: ambiguum ſibi, ac prope ultimum diſcrimen inſtare.* Tum complexus eum Tiberius, præſcium periculorum & incolumem fore gratatur, quæque dixerat oraculi vice accipiens, inter intimos amicorum tenet. Sub quo etiam præceptore profecit in ſcientia Chaldæorum tam feliciter, ut Galbæ ſeram ac brevem potentiam prædixerit. Sic enim ipſum eſt allocutus: *& tu Galba quandoque deguſtabis Imperium.*

Paulo aliter de Traſyllo ſcribit Suetonius in Tiberio cap. XIV. *Traſyllum quoque Mathematicum, quem ut ſapientiæ profeſſorem contubernio admoverat, tunc maxime expertus eſt, affirmantem nave proviſa gaudium afferri eum quidem illum durius, & contra prædicta cadentibus rebus, ut falſum & ſecretorum temere conſcium, eo ipſo momento, dum ſpatiatur unâ, præcipitare in mare deſtinâſſet.* Hæc ille.

Traſyllum inter auctores, atque etiam Medicos memorat Plinius. Julianus Imperator in Epiſtola ad Themiſtium, indicat alia quoque à Traſyllo exarata fuiſſe, ſicque purgaſſe famam ſuam à labe, quæ ei poterat aſpergi, quaſi ambitioſus utque honores adipiſce-

piſceretur, ſectatus fuerit crudelem illum Tyrannum. Quin coactus eſt cedere tempori & Imperatori obtemperare, ex qua tamen familiaritate exiguum percepit emolumentum in Thraſyllum ſic poëticè ludo:

Vivida Traſylli ſolertia templa Tonantis
Scandit, & aſtrifero ducit ab orbe Sophos.
Dinumerat Stellas, humanos proſpicit actus,
Fataque, Cœlituum Regia juſſa, notat.
Hinc Nero, qui aſtrorum Conſultos mergit in undis,
Et vafra varios detegit arte dolos,
Unum hunc haud dubitat ſocium ſibi jungere dextra,
Et donare arctæ munere amicitiæ.

Num vero philoſophiæ dedit operam Rhodi, ſideralem ſcientiam ſi excipias, Tyberius? hæreo, neſcius an præter Rhetores ibi philoſophi quoque profiterentur. Sic enim Suetonius cap. XI. in Tiber. *Cum circa ſcholas, & auditoria profeſſorum aſſiduus eſſet, moto inter antiſophiſtas jurgio.* Sed Sophiſtæ ſunt Rhetores cap. XXXII. facit idem hiſtoricus mentionem Diogenis Grammatici, qui Rhodi docebat, cum ibi moraretur Tiberius cap. LVI. memorat Tranquillus convictores Græculos, quibus maxime acquieſcebat, agitque de Zenone relegato Ænariam, & Seleuco grammatico ad mortem adacto. Sic nihil diſerte proferre de philoſophis licet.

CAP. LV.

De Babillo equite Romano, præfecto Ægypti.

NEſcio an Babillum iis accenſeam, quibus Romana ſe jactat philoſophia. Non enim diſerte poſſum dicere, an philoſophus fuerit. Fuit tamen cultiſſimus omni genere literarum, præfuit Ægypto, & nonnulla ſcitu digna literarum monumentis mandavit. Ejus meminit Seneca perhonorificè in opere quæſtionum Naturalium his verbis: *Babillus Virorum optimus, in omni literarum genere rariſſimus auctor eſt, cum ipſe præfectus obtineret Ægyptum.* Quando potiſſimum vixerit, dicere non eſt, ſed ſatis, conſtat vixiſſe aut ſub Auguſto, poſtquam in provinciam redacta eſt Ægyptus, aut poſt Auguſtum, ante tamen Neronem. Scimus enim ab Auguſto cœpiſſe mitti in Ægyptum non Senatorii ordinis viros, ſed equites eum ob cauſam quam reperire eſt apud Tacitum in II. Annalium, quamque ego expoſui latius lib. I. mearum expoſitionum juridicarum, quas edidi Florentiæ typis Sermatellianis. Romanus igitur fuit Eques Babillus notus abſque dubio Senecæ, cum ab ipſo virorum optimus appelletur. Quid vero prodidit de Nilo ipſe? *Narrat Heracleotico oſtio Nili, quod eſt maximum ſpectaculo ſibi fuiſſe delphinorum à mari occurrentium,& crocodilorum à flumine adverſum agmen agentium, velut pro partibus prœlium. Crocodilos ab animalibus placidis morſu innoxiis victos.* Crocodilis ſuperior

perior pars corporis dura, & impenetrabilis eſt, etiam majorum animalium dentibus, at inferior mollis, ac tenera; hanc delphini ſpinis, quas dorſo eminentes gerunt, ſubmerſi vulnerant, & in adverſum enixi dividunt.

CAP. LVI.

De Canio Julio philoſophici roboris viro ſub Cajo Caligula. Ejus mors generoſa expenditur.

TEmporibus quoque Caji Caligulæ vixit vir inprimis magnus Canius Julius, de quo agit Seneca de tranquillitate vitæ. Magnus ideo quoque quod generoſa & robuſta philoſophia imbutus eſſet, contemptor propterea mortis, & de immortalitate animorum non prorſus male ſentiens cum Stoicis, qui ſaltem magnorum virorum animas interitus expertes exiſtimabant, cum deberent omnes eximere interitui cum Platone. Sed vide, quam impavidum Canium fecerit ſapientia adverſus mortis horrorem. *Ludebat latrunculis, cum Centurio agmen periturorum trahens, & illum quoque citari jubet. Vocatus numeravit calculos & ſodali ſuo: Vide, inquit, ne poſt mortem meam mentiaris te viciſſe.* Tale quid refertur ab hiſtoricis ſuperioris ſeculi de Magno Principe, cui ludenti cum nunciaretur mors, ipſe prorſus non turbatus perrexit ludere, mortem omnino contemnens. Sed accipiamus ſpecimen Canianæ philoſophiæ. Allocutus jamjam moriturus,

rus, ſic eſt triſtes amicos : *Vos quæritis an mortales animæ ſint. Ego jam ſciam, nec deſiit in ipſo veritatem ſine ſcrutari, & ex morte ſuo quæſtionem habere.* Sic gerere non dubitarunt ſe in extremo momento vitæ conſtituti, ut de immortalitate animorum loquerentur. Id de Juliano Imperatore refert Ammianus Marcellinus; egoque id obſervavi in meo libro de philoſophia Juliani. Aderat enim Imperatori Maximus Philoſophus. Sic videtur locutus Thraſeas Pætus, cum exhalaturus eſſet animam, habens oculos intentos in Demetrium Stoicæ ſapientiæ profeſſorem. Sed pergamus in recenſendo exitu philoſophico Canii. Philoſophus illum proſequens ad locum, cum non eſſet procul tumulus, in quo Cato quotidie fiebat ſacrum de ſanguine (ut puto) civium Romanorum; quid, inquit Philoſophus, *Cani nunc cogitas, aut quæ tibi mens eſt? obſervare inquit Canius propoſui velociſſimo momento an ſenſurus ſit animus exire ſe. Promiſitque ſi quid exploraſſet circumiturum amicos, & indicaturum quis eſſet ſtatus animarum.* Quæ narratio mihi revocat in memoriam pactum initum inter Marſilium Ficinum & Monardum, ut qui prior decederet, rediret, & amico nunciaret, quis ſtatus animarum. Obiit prior Monardus apparensque Marſilio hæc verba protulit : vera ſunt ò Ficine, quæ de immortalitate animarum diſſerebamus. Quod factum ſibi ſumpſit literarum monumentis commendandum vir Magnus Baronius.

CAP.

CAP. LVII.

De Philone Judæo, qui Romæ ſub Cajo functus eſt legatione. Agitur de ejus allegoriis, deque dogmatibus potius Platonicis quam Moſaicis.

QVandoquidem legationem pro Hebræis obivit ad Cajum Principem Philo, fas erit eum ad philoſophiam Romanam referre, quoniam ipſe Romam vidit, Romæ legatus aliquamdiu hæſit. Opera non pauca reliquit, in quibus non ſolum elegantia, copiaque orationis eſt ſuſpicienda, ſed inprimis indaganda contemplatio philoſophica tam ſeria, tam docta, ut quid fieri magis ſerium, magisque doctum poſſit, vix deſpiciam. In allegoriis quam acutus, quàm ingenioſus exiſtit. Sed danda nobis opera eſt, ne tales Allegoriæ extra lineas evagentur, veritatemque hiſtoricam traditam à Moſe concutiant atque evertant. Ipſe namque Gentium doctor Paulus quandoque allegoriarum anſam eſt amplexus, ut videre eſt in Epiſtola ad Galatas & Corinthios, non interim veritatem ipſam rerum geſtarum peſſum dedit. At Philo ſic excolit allegorias, ut nihil niſi allegoriam in narratione Moſis videatur deprehendere ejuſmodi allegoriæ ad Eſſæos, tanquam primos autores referendæ ſunt. Neque enim omnes Judæi eas ſunt complexi. Non Phariſæi, non Sadducæi, qui tamen apud Judæos magnifiebant. Eo autem usque ſunt progreſſi nonnulli etiam inter Chriſtianos, ut literam ſive ſenſum hiſtoricum

cum putarent ſupprimendum, resque geſtas inſuper habendas. Princeps talium interpretum habitus eſt Origines, qui non recte huc trahit dictum S. Pauli pronunciantis literam occidere, ſpiritum autem vitam ingerere. Intereunte porro cœtu Eſſæorum videntur prorſus apud Judæos evanuiſſe allegoriæ. Nam Rabbini Cabalam ſectati talia non ſolent depromere.

Quis porro non miretur Philonem de Meſſia, quem Regem fatidici Vates ſunt polliciti, nusquam, quod ſciam, locutum?

Illud diſſimulandum non eſt de Philone quando agitur eum ſic hauſiſſe dogmata Platonis, ut talibus opinionibus imbutus transverſam rapuerit Moſaicam ſapientiam. Certe ut Judæi olim reprehenſi ſunt, quod Gentium more ſeſe gererent, & multa de tali ſuperſtitione traherent, id proferri debet de Philone, qui Moſen ad Platonis Academiam trahere ſatagit. Nonne Pſalmo centeſimo ſecundo ait David: perituros cœlos ab initio à Deo conditos? Philo tamen integro libro conatus eſt oſtendere Platonicos ſecutus, mundum incorruptibilem eſſe, nunquamque periturum. Quod etiam ſecundum religionem Chriſtianam aſſerere non poſſumus. Chriſtus enim dixit: *Cœlum & terra tranſibunt.* Et Johannes in Revelatione dicit, ſe vidiſſe cœlum novum, & terram novam.

Quid quod idem Philo videtur ſatis diſerte tradere materiam ſive terram rudem a Deo ex nihilo non fuiſſe creatam, ſed Deum ea uſum ad condendum mundum, quod dixerunt etiam Stoici, & docuit

Hermogenes, qui forte ſuum dogma de terra increata, deque materia hauſit ex ſcriptis Philonis. Atqui Tertullianus contra eundem Hermogenem docet ipſam quoque terram ex nihilo à Deo conditam.

Platonici porro de Materia ſatis obſcure locuti ſunt, quandoquidem non putaverunt Materiam fuiſſe ante mundum, cum tradant mundum ab æterno à Deo emanaſſe. Quamvis apud Plutarchum longe res aliter explicetur ſecundum Platonicos.

Idem Philo videtur docere ſolem, atque aſtra reliqua Deos eſſe, intelligentia præditos, quod Platonicum eſt, Moſaicæ doctrinæ de Deo uno prorſus contrarium.

Ergo qui legunt Philonem ſciant ipſum magis adhærere Platoni in multis rebus, quam Moſi, atque adeo ſibi caveant.

Cap. LVIII.

De liberalibus ſtudiis Claudii Imperatoris. Cur ei nihil profuerint?

Liberalibus ſtudiis ab ineunte ætate cum impenſe addictus fuerit Claudius, nemo dubitabit philoſophiam quoque ab ipſo excultam. Sic Suetonius cap. III. in ejus vita: *Diſciplinis tamen liberalibus ab ætate prima non mediocrem operam dedit, ac ſæpe etiam experimenta cujusque publicavit.* Cap. XL. aſſerit neque indoctum, neque infacundum fuiſſe: *& liberalibus ſtudiis pertinaciter deditum.* Hinc adeo factum, ut valde multa ſcripſerit, in quibus neceſſe eſt admixta quædam ex philoſophia,

phia, Ciceronis nempe defenſionem contra Aſinium Pollionem, libros XX. Tyrrhenicon & Carchedoniacon VIII. quæ recitabantur quotannis in veteri Muſæo Alexandriæ, quod Muſæum videtur fuiſſe philoſophis addictum, ut colligitur ex Adriani vita, de qua ſuo loco agemus.

Scripſit quoque de ſua vita octo volumina, forte æmulatus Auguſtum, de quo Suetonius cap. LXXXV. ſcripſit *aliqua de vita ſua, quam tredecim libris Cantabrico tenus bello, nec ultra expoſuit.* Quod exemplum poſtea ſecuti ſunt alii Imperatores, inter quos nominare hic licet Hadrianum & Septimium Severum, & philoſophum Marcum. Vita tamen Hadriani & Septimii periit, ſed quæ de ſe ipſo exaravit Marcus, adhuc ſuperſunt, digniſſima profecto, quæ nunquam deponantur ex manibus ſtudioſorum, ex quibus etiam ſuo loco, quando de Marco agemus, depromam. Sed dices, in iis nonnulla periculo non carent, nam ait alicubi ſe prorſus contemnere dæmonum adjurationes, accuſat etiam Chriſtianos, quod ruant temere in mortem, & ſupplicia contemnant. Facilis eſt reſponſio. Nam quis ex ſcriptoribus gentilibus non dicit aliqua, quæ lectorem ſimplicem poſſint turbare? ſed jam cum ſuperſtitio antiqua evanuerit, facile talia contemnuntur. Nam quod adjuratio Dæmonum non eſſet impoſtura, res ipſa docuit. Chriſtiani enim ejusmodi miraculis errorem gentium profligârunt, & pro ſua religione non dubitarunt ſanguinem effundere. Hinc concidunt, quæ profert Marcus. Sed ad Claudium ut revertamur, cum ipſe ſtultus fuerit, & ineptus, ea

P 2 forte

ſorte de cauſa cenſuit Agrippina ejus uxor philoſophiam imperaturo eſſe inutilem, imo noxiam, ſi credendum eſt Suetonio, ut infra dicemus, hincque ipſa noluit ſuum Neronem philoſophiæ incumbere.

Sed ideo nihil profuerunt liberalia ſtudia Claudio, quod natura eum inutilem, & mancum feciſſet, & prorſus ineptum, quod ſatis ſuperque norunt, qui Suetonium legerunt.

CAP. LIX.

De Annæo Cornuto, quem Nero relegavit.

SUb Nerone floruit Annæus Cornutus, cujus amicitia Perſius ita uſus eſt, ut nuſquam ab eo diſcederet, à quo introductus aliquatenus in philoſophia eſt, ut referunt gloſſæ veteres in eundem Perſium. Fuit autem Stoicæ ſectæ addictus idem Cornutus, de quo hæc apud Dionem in Nerone: *Cogitabat* (Imperator) *de geſtis Romanorum verſibus ſcribere, quum tamen evolveret magnum numerum librorum antequam aliquid eorum componeret. Qua in re, adhibebat Annæum Cornutum virum illis temporibus doctrina & eruditione clariſſimum: quem tamen parum abfuit, quin interfici juſſerit. In inſulam certè relegavit propterea quod nonnullis exiſtimantibus, quadringentos libros à Nerone ſcribi oportere nimium multos eſſe dixit. Quumque alius quidam objiceret, atqui Chryſippus quem tu laudas & imitaris, multo plures compoſuit; illos utiles eſſe vitæ hominum reſpondit. Hujus rei cauſa exilio multatus eſt.* Si

Cor-

Cornutus imitabatur Chryſippum, profecto Stoicus erat. Et certe Stoica dogmata ſapiunt ſatyræ Perſii, qui inſtitutus eſt à Cornuto. Pauci autem omni tempore extiterunt, qui eruditionem conjunxerint cum philoſophia quos inter memorare eſt Longinum, Porphyrium & Cornutum. Propterea enim ejus judicium exquirebat Nero; quia norat eſſe eruditiſſimum.

Dices, non videri fuiſſe Stoicum, quandoquidem Perſius inquit:

teneros tu ſuſcipis annos
Socratico Cornute ſinu.

Reſpondendum eſt, etiam Stoicos è Socratis ſchola, tanquam ex equo Trojano, prodiiſſe. Nam inter Socratis diſcipulos Antiſthenes: hujus Diogenes, præceptor Cratetis Thebani, quo uſus Doctore Zeno. Adde omnem Moralem philoſophiam à Socrate profectam. Ergo Socraticus ſinus eſt inſtitutio in morali philoſophia. Nunc forte expectas lector, ut meo more poëticis verbis venerer Cornutum. Reſpondeo tuo voto, ſi tamen reſpondeo, qui tam tenuiter ſcribo.

Quiſquis Principibus jucundum obtrudere palpum
Abnuit, & verum dicere durus amat,
Exeat ex aula. Regalia limina vitet.
Incluſus Sophien, Pieridasque colat.
Nam Nero Cornutum cultorem Palladis urbe
Ejicit, & Gyaris conſenuiſſe jubet:
Laudibus in cœlum quod tollere carmina nollet,
Quæ Phœbo haud dextro fecerat ipſe mala.

CAP. LX.

De Alexandro Ægeo Peripatetico præceptore Neronis.

PRæceptorem habuit Nero, qui vocabatur Alexander. De quo Suidas: *Alexander Ægæus, philoſophus peripateticus, præceptor Neronis Cæſaris, una cum Cheræmone philoſopho filium habuit nomine Cælium. Hic Neronem vocabat lutum ſanguine maceratum. Malorum diſcipulorum, ut opinor, pejores fuerunt Magiſtri: virtus enim doceri, & vitium excoli poteſt.* Dubitet aliquis, an talem præceptorem habuerit Nero, cum ſcribat Suetonius cap. LII. quod mater eum averterit à philoſophia, monens imperaturo contrariam. Cur ergo ei admovit Senecam? reſpondendum Neronem jam virum fuiſſe, cum ab exilio revocaretur Seneca. Verba porro apud Suidam: *Lutum ſanguine maceratum*, prolata ſunt de Tiberio, narrante Suetonio cap. LVII. Theodorus Gadareus Rhetoricæ præceptor in objurgando ſubinde appellans eum: lutum à ſanguine maceratum. Poteſt tamen fieri, ut Alexander imitatione Theodori ſic allocutus fuerit Neronem.

Sed id, quod ſubjungit Suidas de Magiſtris falſum eſt. Nam Neronis præceptor Seneca fuit optimus vir, peſſimi Imperatoris Magiſter. Quid dicam de Quintiliano? deque aliis? quis dubitet bene educatum fuiſſe Commodum, qui tamen prorſus degeneravit à parentis optimi moribus, ut taceam de Caligula præſtantiſſimi patris deterrimo filio.

CAP. LXI.

De Cynico Demetrio, qui vixit ſub Caligula, Claudio & Nerone. Obiter de more illuſtrium virorum, quando ſunt morituri.

IN felicia fuerunt tempora, quibus imperavit Nero. Non tamen ſua caruerunt felicitate, quandoquidem magna virtutum exempla tulerunt, & non pauci ad robur philoſophicum generoſa indole dignum pertigerunt, quos inter Demetrius Cynicus, cujus ſententias ex ore hauſtas ſuis ſcriptis inſerit Seneca lib. ſcilicet VII. de benefic. cap. I. refert ipſum dicere ſolitum, *plus prodeſſe, ſi pauca præcepta ſapientiæ teneas, ſed illa in promptu tibi, & in uſu ſint, quam ſi multa quidem didiceris, ſed illa non habeas ad manum.* Ejusdem libri cap. IX. inducit eundem graviſſime diſſerentem, moxque in principio cap. XI. de ipſo ſubjungit: Cum Cajus Cæſar illi ducenta donaret ridens rejecit, ne dignam quidem ſummam judicans, qua non accepta gloriaretur. Ingentem rem ab illo ſe audiviſſe inde narrat Seneca, cum miraretur dementiam ejus, quod ſe putaſſet tanti poſſe mutari: *ſi tentare*, inquit, *me conſtituerat toto illi fui experiendus imperio.* Vides ſub C. Caligula innotuiſſe ſapientiam Stoicam Demetrii, ad cujus laudem illud referendum, quod eſt apud Tacitum XIV. Annal. Thraſeas ſcil., accepto mortis arbitrio, ſupremæ metæ jam vicinus, *maxime* fuit *intentus* Demetrio *Cynicæ inſtitutionis doctori, cum quo de natura animæ & diſſociatione ſpiritus corporisque* inquiſivit.

Solent namque viri magni mox obituri lubenter ſeipſos ſolari argumento ab immortalitate animæ petito. Sic Socrates ſe geſſit, ut expreſſum reliquit divinus Plato in Phædone. Et Cato Uticenſis ultimus libertatis Romanæ vindex cum ſtatuiſſet ſe occidere ne vivus veniret in poteſtatem Cæſaris, bis Phædonem Platonis legit.

Introductus eſt in cubiculum Demetrius, poſtquam accepiſſet Thraſeas Senatus-Conſultum. Doleo autem non supereſſe narrationem totam Taciti de morte ſummi viri. Deſinit enim in hæc verba: *Poſt lentitudine exitus graves cruciatus afferente obverſis in Demetrium.*

Demetrii quoque fit mentio apud Philoſtratum in vita Apollonii, quando deſcribitur ejusdem Apollonii adventus Romam tempore Neronis. Narrat Hiſtoricus cum celebraretur magna pompa dies feſtus, Demetrium ingreſſum in templum diſſeruiſſe adverſus uſum balneorum. Iis enim potius fœdari, & pollui corpora, quam lavari hominesque ejusmodi more fieri effœminatos & molles. Quam ſententiam videntur etiam approbaſſe veteres Chriſtiani, qui ſeveritatem profeſſi non ita balnea frequentabant, ne viderentur molliter, & delicatè vivere. Tacitus tradit balneorum invectum Britannis uſum, ut frangeretur ipſorum robur, ſicque lubenter Romanum ferretur jugum. Non diſſimulat autem Philoſtratus magnopere offenſas fuiſſe aures populi Romani oratione Demetriana habita adverſus balneorum uſum, parumque abfuiſſe, quin à furore concitatæ plebis interimeretur. Etſi autem evaſerit incolumis,

lumis, non tamen expers pœnæ prorſus fuit, actus in exilium juſſu Tigellini ob diſſertationem contra balnea.

Cap. LXII.

De Cœrano, aut etiam Clarano.

COeranus fuit Græci generis philoſophus. Ejus meminit Tacitus in Annal. quando agit de Plauto morituro, cui fuerint auctores opperiendæ mortis Cœranus & Muſonius. Plinius in indice lib. II. inter ſcriptores, quos delibavit, recenſet Cœranum. Incertum an intelligat de iſto. Forte eſt Claranus, quem tantopere laudat Seneca lib. I. Epiſt. LXVI. condiſcipulum ſuum, quem vidiſſe ſe ait poſt multos annos, viridem animo, ac vigentem, & corpuſculo ſuo colluctantem. Apparet fuiſſe turpi corpore præditum. Nam ibidem inquit Seneca, *iniq. ſe naturam geſſiſſe & talem animum male collocaſſe.* Aut voluiſſe oſtendere poſſe ingenium fortiſſimum ac beatiſſimum ſub qualibet vite latere. Subjicit ſibi errare videri Virgilium, dum ſcribit:

Gratior eſt pulchro veniens è corpore virtus.

Quod ſi neges Claranum eſſe eundem cum Cœrano, ſaltem fateberis potuiſſe, & debuiſſe enumerari, dum agitur de philoſophia apud Romanos.

Cap. LXIII.

Stoicum fuiſſe Thraſeam Pætum.

MUlta clamant ſtudioſiſſimum fuiſſe Stoicorum Thraſeam Pætum, de quo tam honorificè loquitur Tacitus, ut dicat Neronem cum vellet interficere Thraſeam, cogitaſſe ipſam exſcindere virtutem Annal. lib. XVI. Thraſeas hic ex libro, quem Munatius ediderat, de rebus Catonis incenſus eſt ſtudio Stoicæ diſciplinæ fortiterque mortuus eſt damnatus à Nerone. Patavinus fuit. Martialis ad Decianum Stoicum ſic ſcribit:

Quod magni Thraſea, conſummatique Catonis
Dogmata ſic ſequeris.

Apud Tacitum accuſator: *iſta Secta* (Stoica) *Tuberones & Favonios genuit.* Cum exhalaturus eſſet animam voluit ſibi adeſſe Demetrium Cynicum, de quo Seneca Epiſt. LXIII. *Demetrium virorum optimum mecum circumfero, & relictis conchyliatis cum illo ſeminudo loquor illum admiror.* De laudibus porro Thraſeæ ſcripſit Junius Ruſticus, appellavitque *virum ſanctiſſimum*, non omiſſo Elvidio Priſco, cujus rei cauſa à Domitiano interemptus eſt. O decus immortale Thraſeæ, ò philoſophiæ Romanæ immenſum incrementum. Triumphat enim ſapientia in morte ſplendidiſſimi Senatoris de Tyranni perditiſſimi crudelitate, & Muſa his numeris memoriam invicti philoſophi, imo Herois veneratur:

Æthereo flagrat Thraſeas virtutis amore,
Exultat ſtudiis, Stoicidasque fovet.
Indomitus renuit dirum laudare Neronem,
Tanta viro probitas, tantus honorque comes.
Ergo etiam potuit crudelem temnere mortem,
Pulchraque Cygneo fundere verba ſono.

CAP.

CAP. LXIV.

Seneca adverſus quosdam maledicos defenſus. De ejus operibus legendis. Quam impavidum ſe præbuerit in morte.

SEneca adeo notus eſt, ut de ipſo verba facere prorſus ſupervacaneum foret, niſi nebulones ſummum virum carperent avaritiæ, & ambitionis nomine. Ajunt eum conflaſſe immenſas pecunias, & fœnori ipſas expoſuiſſe ambiviſſe quoque imperium. Ut ad ultimum reſpondeam, dico nusquam apparere in hiſtoria conjurationis à Piſone initæ adverſus Neronem, Senecam conſcium ejusmodi conſiliorum fuiſſe. Legatur narratio Taciti & calumnia illicò in ventos abibit.

Pecunias non ipſe conflavit, ſed accepit à Nerone, quem ſcimus, ut nulla in re, ſic nec donando tenuiſſe unquam modum. Abſque præſenti profectò periculo non potuiſſet Imperatoriæ largitioni repugnare philoſophus.

Fœnus porro intra certos limites receptiſſimum ſemper fuit apud Romanos, ut Tirones quoque norunt. Fœneratores certè malè audiverunt, quod immodicis uſuris reliquos premerent. Quod ſi ſecundum morem Romanum liceret reprehendere Senecam, reprehendendi fuiſſent omnes, qui ſuas ædes, agros, & alia locaſſent, accepiſſentque inde penſionem. Nam fœnus apud Romanos inſtar fructuum fuit. Sed fœnus legitimum à lege pop. Rom. definitum.

Defen-

Defenſo Seneca aliquid proferendum de operibus, in quibus ſic Stoicum agit, ut quandoque liberè à ſectæ ſuæ decretis diſcedat. Quod fecerunt fere omnes philoſophi. Annon enim Theophraſtus in multis aliter docuit quam Ariſtoteles? non decet generoſa ingenia in ullius hominis verba jurare. Quam variè ſe gerunt Platonici, quamque multiplici ratione præceptorem interpretantur.

In opere quæſtionum naturalium legendo ſic proficere licet, ut non ſolum haurias cognitionem eorum, quæ in ſuperiore regione fiunt, verum etiam non paucas ſententias celebrium virorum, quorum ſcripta interierunt, cognoſcere, mandareque memoriæ poſſis.

Illud etiam de Seneca proferre par eſt, ut ſciamus exitum prorſus reſpondiſſe profeſſioni, oſtendiſſeque, quam alto pectore hærerent præcepta ſapientiæ aliis tradita, cum ſeveritate non fucata, & innocentia vitæ conjuncta. Quod verbis quoque expreſſit, quando impavidus mortis contemptor dixit: *ubi præcepta ſapientiæ? ubi tot per annos meditata ratio vitæ adverſum imminentia?* videnda cætera apud Tacitum. Nam proximus morti, & poſt brachia ferro exſoluta, manante ſanguine quædam dictavit. Ego raptus in admirationem Herois Stoici duo Epigrammata ſcripſi, quorum primum hoc eſt:

Flet Sophie, pectus plangit, ſcinditque capillos;
Dum talem torquet ſæva cicuta virum,
Qualem vix Tyberis ſtupuerunt agmina, poſtquam
Stoicidam excepit maxima Roma gregem.

Alte-

Alterum ſic habet:

Ad Senecam cupidus Sophiæ progreſſus anhelat,
Ad Senecam, civem Corduba clara tuum.
Ad Senecam, quem ſæpe audivit Roma loquentem
De terra, atque ſalo, ſidereoque polo,
De fati imperio, cui cedere cogitur æther,
Quodque hominum ſæva compede facta ligat.
Talia claruit Stoæ generoſus alumnus,
Cujus grata libros nunc quoque Roma colit.

CAP. LXV.

De Senecæ mira temperantia. Quibus argumentis oſtendant Stoici divitias non eſſe bonas. Cur Seneca liberalia ſtudia non putet confundenda cum ſapientia?

PErquam frequenter Seneca in ſuis ſcriptis ſeveritatem ingeſſit, ſuique ſeculi mores damnavit, reprehenſis Peripateticis, qui docebant divitias ad felicitatem facere. Severitati autem dogmatum viſus eſt præire ſua vita ſuoque exemplo. In Epiſtola LXXXVII. ſic de ſe loquitur: *Cum pauciſſimis ſervis quos unum capere vehiculum potuit ſine ullis rebus, niſi quæ corpore noſtro continebantur, ego & Maximus meus biduum jam beatiſſimum agimus. Culcitra in terra jacet, ego in culcitra. Ex duabus penulis altera ſtragulum, altera opertorium facta eſt.* Veſcebatur caricis, quæ inſtar pulmentarii erant, quando aderat panis, quandoque deerat panis, & caricæ pro pane erant. Quale autem fuit vehiculum, cujus tam facta mentio? Ruſticum. Mulæ,

læ, quæ trahebant vehiculum, vix oſſibus hærebant, vivere tamen ambulando ſe teſtabantur. Auriga mulio calceis carebat non propter æſtatem, ſed quod putaret Seneca calceos contemnendos mulioni.

Audet contra totum humanum genus vocem attollere & dicere: *inſanitis, erratis, ſtupetis ad ſupervacua.* Irridet magnum Calendarii librum, auream ſuppellectilem, quæ divites in via ſequitur, immodicum modum agri ſuburbani, vehicula cælata.

Inſtratos oſtro alipedes, pictisque tapetis.
Quibus aurea pectoribus dimiſſa monilia pendent
Qui tecti auro fulvum mandunt ſub dentibus aurum.

Invehitur in troſſulos in via divites, quibus curſores & Numidæ.

Multis verbis commendat M. Catonem Cenſorium, qui Canterio vehebatur, & hippoperis quidem impoſitis, ut ſecum utilia portaret. *O quantum erat* (exclamat) *ſeculi decus imperatorem triumphalem Cenſorium Catonem uno caballo contentum eſſe.* Quem quidem caballum, & canterium putat præferendum *obeſis mannis, & Aſturconibus, & tollutariis.*

Tantum autem abeſt, ut putet in talibus ſitam eſſe felicitatem, ut pronunciet eſſe humanæ vitæ *impedimenta.*

Sed expendantur argumenta Stoicorum contra Peripateticos. Fortuita bonum non faciunt. Ergo non ſunt bona. Ut ejusmodi nodum ſolvant Peripatetici non pauca depromunt, quæ jam examinare non vacat.

Si divitiæ facerent bonum, non poſſiderentur à peſſimis hominibus. Atqui *Chelidon, unus ex Cleopatræ*

patræ mollibus,patrimonium grande poſſedit,nuper Natalis tam improbæ linguæ, quam impuræ, in cujus ore fœminæ purgabantur, & multorum hæres fuit, & multos habuit hæredes.

Bonum ex malo non fit. Divitiæ fiunt ex avaritia. Divitiæ ergo bonum non ſunt.

Dum divitias conſequi volumus in mala incidimus. Ergo divitiæ bonum non ſunt.

Quæ neque magnitudinem animo dant, nec fiduciam, nec ſecuritatem; contra autem inſolentiam, tumorem, arrogantiam creant, mala ſunt. A fortuitis autem in hæc impellimur, ergo non ſunt bona.

Argumentationem porro iſtam pro ſua non agnoſcunt Stoici: ex malis bonum non fit, ex multis paupertatibus fiunt divitiæ. Ergo divitiæ non ſunt bonum.

Alia Epiſtola, nempe ſequenti agit Seneca de ſtudiis liberalibus, quæ græcis ſignificantur nomine Encyclopædiæ. Sapienter diſcrimen ingens inſtituit inter ſtudia liberalia & ſapientiam, quæ non tam docet, quam facit animum bonum, virtuteque & robore invicto inſtruit mortales. Ejusmodi diſcrimen præclare conſtituit, & expoſuit ante Senecam Philo. Nam nomine ſapientiæ ait ſignificari Saram, nomine autem Encyclopædiæ venire in Geneſi Agarem. Vide apud eundem Philonem totam enarrationem de congreſſu Abrahæ cum Agare, & de ſterilitate Saræ, ut rectius intelligas Senecæ ſententiam.

CAP.

CAP. LXVI.

De ſtatu non admodum florente philoſophicarum ſectarum, cum floreret Seneca.

POſtquam de Seneca locuti ſumus, antequam ulterius progrediamur, non negligenda ſunt ejus verba, quæ profert cap. XXXII. lib. IV. Natur. quæſt. ut magis ac magis intelligamus floruiſſe præ omnibus ſectis Stoicos Romæ illis temporibus, exiguo autem loco fuiſſe Pyrrhonios, Pythagoræos, atque alios. Sic autem loquitur: *tot familiæ philoſophorum ſine ſucceſſore deficiunt. Academici & veteres, & minores nullum antiſtitem reliquerunt. Quis eſt, qui tradat præcepta Pyrrhonis? Pythagoricæ illa invidioſæ turbæ ſchola præceptorem non invenit.* Hæc ibi. Quod porro ſubjungit, valde notandum ab eo, qui ignorare non vult ſtatum philoſophiæ apud Romanos; ait enim: *Sextiorum nova, & Romani roboris ſecta inter initia ſua, cum magno impetu cœpiſſet, extincta eſt.* De hujusmodi Sextiis nihil fateor, mihi lectum, nec, ſi quid legi, memoria jam ſuggerit. Ad quæſtiones naturales, qui ſcripſerunt notas, nihil proferunt quod nos juvet. Notus eſt quidem Sextus inſignis philoſophus, ſed ille floruit ſub Imperatore Marco, de quo ſuo loco nonnulla proferemus. Explicet qui poteſt quinam Sextii iſti fuerint, philoſophi apud Romanos, qui tamen cito defecerunt.

CAP.

CAP. LXVIII.

De ſcelere P. Celeris Egnatii, Stoicam philoſophiam profeſſi.

NIhil tam ſanctum eſt, quod pollui nequeat à pravitate hominum, aut nullum inſtitutum adeo rectum, ſub cujus ſpecie fallere non ſoleant quandoque ſubdoli callidique homines. Dolet ſanctitas philoſophiæ, quod invita tracta fuerit ad ſcelus. Temporibus ſcilicet Neronis P. Egnatius Celer Soranum deferendo perdidit. Qua de re Juvenalis non ſine indignatione ſcripſit:

Stoicus occidit Baream, delator amicum,
diſcipulumque ſenex.

Impurus teſtis cliens Sorani emptus ad opprimendum amicum, auctoritatem Stoicæ ſectæ, ut ſcribit Tacitus XVI. Annal. præferebat habitu, & ore ad exprimendam imaginem honeſti & exerciti, cæterum animo perfidioſus, & ſubdolus, avaritiam, ac libidinem occultans: *quæ poſtquam recluſa ſunt, dedit exemplum præcavendi quomodo fraudibus involutos, aut flagitiis commaculatos: ſic ſpecie bonarum artium falſos, & amicitiæ fallaces.* Oppreſſus quidem eſt Soranus, nec tamen impune tulit nebulo Stoicus, ingratiſſimum caput. Nam ſub Veſpaſiano, ut eſt apud Tacitum eundem in IV. hiſt. invectus eſt Muſonius Rufus in Publium Celerem, a quo Baream Soranum falſo teſtimonio circumventum arguebat. Subjicit Tacitus: *Sorani ſancta memoria.* Celer profeſſus ſapientiam dein teſtis in Baream, proditor, corru-

ptorque amicitiæ, cujus ſe magiſtrum ferebat. Adeo magnum eſt viſum hiſtorico ſcelus, ut putaverit repetita deteſtatione utendum. Magiſter eſt diſcipulo inſtar parentis. Quis porro pater prodiderit filium? Nec tamen tunc damnari potuit Celer ob adventum Muciani in urbem. Interim haud ſupplicium evaſit reus interpoſita mora. Nam eodem libro Tacitus narrat, placuiſſe repeti cognitionem inter Muſonium Rufum, & P. Celerem; damnatumque Publium, Soranique manibus ſatisfactum.

Illa ergo tempeſtate in philoſophos animadvertebatur à magiſtratibus, nec illos reddebat tutos pallium, pollutum inſigni aliquo ſcelere.

Vide vero quàm generoſum ſe præſtet Tacitus. Nam licet ab aliis miris laudibus fuerit ornatus Demetrius Cynicus, non tamen omittit culpare hominem, qui reum manifeſtum conatus fuerit defendere. Ambitioſius quam honeſtius viſus eſt aggredi ejuſmodi defenſionem.

Licet autem aliquatenus excuſare Demetrium, cum videret totam ſectam male audire ob unius Celeris ſcelus, quod ipſe Demetrius maxime cupiviſſet diluere. Sed ut jam audivimus, fruſtra fuit, & ambitionis ſe obnoxium reddidit notæ.

Libere ergo in omni genere hominum reprehendenda ſunt flagitia ab hiſtorico, ut omnes quicunque demum illi ſint, ab iis perquam diligenter abſtineant, reformident hiſtoricam libertatem, quæ nulli mortalium obtrudere debet palpum.

CAP.

CAP. LXIX.

Qua ratione vulgus Cynicos irritaret & vexaret.

NEronianis temporibus præter Stoicos, Cyniсosque vix alii videntur Romæ fuiſſe philoſophi. Quos tamen valde multi à philoſophia & Græcorum diſciplinis abhorrentes ludibrio habebant. Id teſtatur Perſius Sat. I.

multum gaudere paratus
Si Cynico barbam petulans Nonaria vellat.

Magna ſcilicet erat rudium Cynicorum ruditas, ut vulgo omnes iis illuderent, quos etiam percutiebant, variiſque onerabant contumeliis. Quod ne ipſis quidem nolentibus faciebant, cum nati ad gloriam homines, argumento opus haberent, in quo ſuam illam admirabilem patientiam oſtentarent. Apparet namque ſolitas à petulantibus hominibus meretrices cum illis committi, unde neceſſe erat ſequi magnum riſum omnium eorum, qui talis certaminis ſpectatores erant. Simillimum eſt, quod in ſchola Alexandrina factum aliquando eſt, nequiſſimorum quorundam nebulonum conſpiratione in Theodorum juvenem omni jam laude virtutis conſpicuum, atque illuſtrem. Submiſſum eſt enim ſcortum impurum, quod in foro ipſum aggrederetur. Hic eſt qui poſtea Gregorius Thaumaturgus eſt dictus, cujus vitam Gregorius Nazianzenus libro ſingulari eſt complexus.

Julianus etiam Imperator, quia legerat in Evangelio Matth. V. præbendam eſſe alteram genarum ei, qui unam percuſſiſſet, dandamque tunicam ſurripienti pallium, pergendumque cum angariante ultra quam ipſe traheret, taliaque de genere hoc, ajebat non debere conqueri Chriſtianos ſi vexarentur, quandoquidem ita voluntati divinæ facerent ſatis.

Mirandum porro non eſt vexatos Cynicos, nam cum præferrent torvitatem vultus ac diſſentientem à cæteris habitum, peſſimis moribus, & impuræ obſcænitati incumbebant; ita ergo ſpernebantur: Qua de re legendus eſt Dio ſerm. XIV. & alio ſermone habito Alexandriæ.

CAP. LXX.

De baculo, pera, & barba Cynicorum, & tenui victu juvenum, dantium operam Stoicæ philoſophiæ.

Cynicis adhuc inhæremus, quandoquidem ferè ſola hæc ſecta cum Stoicis Neronianis temporibus reperiebatur Romæ, aliquid ſubjungentes de ipſorum habitu. Etenim peram, & baculum velut inſignia deferebant, quibus tamen carebant Platonici. Lubet autem ex Apologia Apuleji aliqua de pera, & baculo excerpere. *Grdtum habitum ad contumeliam diceretis rem familiarem mihi peram, & baculum fuiſſe.* Crates profecto arbores frugiferas præ uno baculo ſprevit, villas ornatiſſimas una perula mutavit, imo laudavit flexis ad hoc Homericis verſibus. Baculum & barbam tu philoſophis exprobra-

brares? igitur,& equitibus phaleras,& peditibus clypeos. Non ſunt quidem iſta Platonicæ ſectæ geſtamina, ſed Cynicæ inſignia familiæ. Veruntamen hoc Diogeni & Antiſtheni pera & baculus, quod regibus diadema. Hinc ferulas & virgas falſe mordendo nominavit *ſceptra pædagogorum* Martialis. Diogenes quidem Cynicus cum Alexandro Magno de veritate regni certabundus baculo vice ſceptri gloriabatur.

Hinc etiam ſe Agamemnonem appellavit: *ſceptrum enim habeo baculum.* Dolium ajebat eſſe regiam, ut non dubitarit S. Hieronymus dolium illud Prætorium Diogenis nuncupare.

Hodie mendici, & quidem cæci utuntur baculo. Pera autem non deſtituuntur pauperes peregrinantes.

Baculo & peræ addenda eſt barba, quam Cynici promittebant ſeveritatis oſtentandæ cauſa. Hinc Perſius:

multum gaudere paratus
Si Cynico petulans vellat Nonaria barbam.

Quod eſt inſultare, contemnere. Magnum enim eſt argumentum contemptus vulſio barbæ. Hinc idem Perſius:

ſtolidam præbet tibi vellere barbam.

Nonariæ nomen denotat, impudentem meretricem. Nam apud veteres ſcorta à nona hora proſtabant, ne manè omiſſa exercitatione illò irent adoleſcentes, quod obſervatum eſt à ſcholiaſte ejusdem Perſii.

Juvenes quoque, qui ſe in diſciplinam Stoicorum dabant, victu tenui contenti erant. Apud Perſium hæc leguntur:

juventus
Invigilat ſiliquis, & grandi paſta polenta.

Quis neget victum eſſe tenuem, polentam, aut panem ſecundum, & ſiliquas leguminum, quod pecoris immundi potius quam hominum cibus eſt? quod videre eſt apud Lucam cap. XV. Plinius quoque ait ſiliquas pecudum eſſe pabulum gratiſſimum. Horatius extremam frugalitatem ea voce expreſſit:

Vivunt ſiliquis & pane ſecundo.

Juvenalis Sat. XI.

Sed laudem ſiliquas occultus ganeo.

Prudentius quoque utitur hujusmodi vocabulo. Sunt porro ſiliquæ nihil aliud, quam leguminum opercula, polenta ex hordeo fiebat, quod diſcere eſt ex Plinii deſcriptione lib. XVIII. cap. VII.

CAP. LXXI.

De Stoa, unde Stoici dicti, digreſſiuncula excerpta ex prælectione habita ad XVI. annalium Taciti.

Etſi Stoa, qua dicti Stoici, nequaquam fuerit Romæ, ſed Athenis, quia tamen non infrequens mentio Stoicorum in hoc opuſculo, nihil vetat aliquid per digreſſionem ſubjicere de eadem Stoa, petita ex prælectione, quam habui ad Annal. Tacit. lib. XVI. cum perpenderem factum Egnatii, qui aſſumens *auctoritatem Stoicæ Sectæ* perdidit Sora-

Soranum. De Stoa autem agit Perſius Sat.III. Æmilius Probus in vita Miltiadis,Diogenes Laërtius *in Zenone*, Pauſanias non uno loco, atque alii præſertim recentiores. Laërtius igitur in Zenone ſic: *Vertens igitur ſe ad porticum variam, quæ & Piſianactios appellabatur.* Græcè dicta Pœcile, varia. Primum nomen hujus Porticus erat Piſia Actia, ſed Phanippo imperante Athenis (fuit enim tunc Marathonium prœlium commiſſum) à picturæ varietate Poecile nuncupata, ut ſcribit Ariſtidis Scholiaſtes. Laërtius ita: *appellabatur ex varia, & multæ ſcientiæ pictura Polygnoti* Poecile. Concinit Æmilius Probus in Miltiade: *In porticu, quæ Poecile vocatur.* Idem traditur à Pauſania in Atticis: *pergentibus vero ad eam porticum, quæ à picturæ varietate Poecile dicitur.*

Quid in ea depictum? pugna inprimis Marathonia, decem prætores, qui ad gerendum bellum creati fuerunt. Æmilius Probus: *Namque huic Miltiadi, qui Athenas totamque græciam liberavit, talis honos tributus eſt in porticu, quæ Poecile vocatur cum pugna depingeretur Marathonia, ut in decem prætorum numero, prima ejus imago poneretur isque hortaretur milites, præliumque committeret.* Hæc ille. Perſius ſic ſcribit: Sat. III.

Quæque docet ſapiens braccatis illita Medis
Porticus.

Medi, & Perſæ iidem, licet quo tempore geſtum eſt bellum Marathonium Perſæ appellarentur; ſed non deerat in exercitu natio Medorum cum Perſica conflata.

Pugnæ porro Marathoniæ adſcripſerunt.
Pro Græcis pugnantes Athenienſes in Marathone,
Occiderunt Medorum viginti myriadas.

Quod tamen videtur per jactantiam græcanicam dictum. Cur autem potiſſimum talem pingi pugnam voluerint Athenienſes, facile eſt diſcere ex verbis Pauſaniæ in Atticis, dum inquit: *Nullam fuiſſe victoriam, qua ſint magis Athenienſes gloriati, quam ea, quam ex Marathonia pugna ſunt adepti, hinc præcipuè ut credam adducor.*

Quis auctor picturæ? Polygnotus, quod nos docet Laërtius, cujus verba jam ſunt prolata. Polygnoti hujus facit mentionem alibi quoque Pauſanias in Atticis: *hæc omnia Polygnotus pinxit.*

Ignorandum porro non eſt in hac porticu aliquando interfectos fuiſſe MCCCCXXX. cives, quod narrat Laërtius. Sed Zeno locum hunc voluit reddere quaſi ſacrum,tradendo ibi philoſophiam. Audiamus Laërtium: volens locum illum ſtabilem reddere,& nullis porro ſeditionibus violabilem. Certe conſtat Stoicos ſolitos majorem illi venerationem tribuere, quam templis Deorum. Extabat adhuc temporibus Honorii & Arcadii Cæſarum. Non tulit autem Proconſul quidam Achajæ Stoicorum ſuperſtitionem deturbavit ergo locum,& tabulas abſtulit, eoque facto ſuperborum philoſophorum ſupercilium non parum retudit.

Cæteri tamen philoſophi, & ipſi ſuas ſcholas putabant eſſe ſacras. Nam ſi quis è Lyceo, Academia pallium, aut ampullam eſſet furatus morte plectabatur.

Im-

Imponam finem diſſertatiunculæ, ſi prius monuero apud Eleos quoque fuiſſe Porticum in Alti, quæ etiam Poecile appellabatur. Sic enim narrat Pauſanias: *ſignum eſt in porticu, quæ in Alti eſt. Ea porticus appellatur Poecile, à Pictura varietate, qua olim parietes exornati fuerant.* Adjicit eandem à multis Echus nominari, *quod vocis emiſſæ imago ſepties, & ſæpius reciprocat.*

CAP. LXXII.

An & quatenus Cynici & Stoici habuerint eandem originem? deſcribuntur adhuc mores Cynicorum. Rejicitur calumnia Juliani Imperatoris contra Monachos.

DE Stoa poſtquam diximus, quandoquidem Cynici à Stoicis parum aut nihil differre viſi ſunt, quærendum hic? An Cynicæ ſectæ, & Stoicæ diſciplinæ idem fuerit initium? idemque progreſſus? reſpondendum eſt Cynicum inſtitutum ad Diogenem ſic referri, ut tamen Zeno non excludatur. Etenim Crates diſcipulus fuit Diogenis, præceptorque Zenonis Citiei. Zeno porro ſuam diſciplinam conflavit ex Platone, Socrate, & Cratete nonnullis immutatis, ut ſolet fieri, additisque aliquibus ex propria inventione. Nam & Plato in naturali philoſophia valde eſt imitatus Pythagoram, in morali Socratem. Sic Zeno in Theoretica ſapientia ſecutus eſt aliquatenus veſtigia Platonis, pauca inveniens ipſe, & differens ſæpe in nominibus potius, quam in re ipſa.

A Cratete accepit horrificam illam ſeveritatem, libertatemque paradoxis miris non deſtitutam. Ne tamen inſtitutum tam rigidum homines à ſe repelleret, nonnihil mollivit Cratetis dictata, philoſophiamque ſuam traduci paſſus eſt ad civilitatem, ad conjugium, aliaque ejusmodi. Quam tamen moderationem ſunt, qui tribuunt non Zenoni, ſed diſcipulis. Sic enim Julianus Imperator: *Citienſis Zenonis diſcipuli cum civitates animadverterent meram illam nimiamque canis hoc eſt Cynicæ ſectæ libertatem averſari, quibusdam illam integumentis involucrisque texerunt, nimirum rei domeſticæ cura, opum comparandarum ſtudio, uxoris contubernio, ac prolis educatione.* Hæc ille.

Verum non omnibus placuit ejusmodi involutio, quin aliqui non paſſi ſeſe averti à moribus Diogenis, & Cratetis exiſtimarunt ſibi faciendum, ut ad Rempublicam non accederent, à muneribus vitæ civilis abhorrerent, ſordes ſectarentur, & ſqualorem, ſpernerent omnem elegantiam, ferrent peram, baculum, & comam. Et iſti dicti ſunt Cynici non tam ob dogmata, quam ſordidum modum vivendi: in hos Cynicos invecti ſunt ipſi Gentiles graviſſime, inprimis Lucianus & Julianus Imperator orat. VII, ut nihil dicam de S. Johanne Chryſoſtomo. Julianus ſic loquitur: *mihi iſti canes latronibus videntur eſſe improbiores, communia jura naturæ miſcentes palam, & in omnium oculis obambulant. Sane plerique nunc illorum haud paulo verecundiores extiterunt, cum procaces, ac petulantes antea extitiſſent.*

Lon-

Longe aliter ſe geſſerunt Diogenes & Crates. *Verbis facta jubebant præire: & qui paupertatem honorabant ante omnes, ipſi ſua patrimonia contemnere videbantur.*

In ſequentibus graphicè degenerum Cynicorum deſcribit mores. Nam Heraclium unum ex ipſis ſic alloquitur: *quid tu dignum Diogenis baculo præſtitiſti? An hoc magnum tibi videtur fuſtem capere, comam promittere, urbes circumire & comitatus, optimis quibusque convitiari, peſſimis adulari?* Mox de aliis quoque ejusdem farinæ agens, inquit: *vagi ubique diſcurritis, comitatui Principis importuni.* Ut mirum non ſit, ſi affirmet per tales mores philoſophiam eſſe inviſam.

In dialogo Luciani ſic auctor eos reprehendit, ut inducat Cynicum ſeſe defendentem. Deſcribitur ibi vita victusque Cynicorum, quod ut mendici incedant; ut canes quibusque rejectamentis victitent, & ut feræ nullas certas ſedes, nulla habitacula habeant, quod ipſam naturam negligere videantur. Sed operæ pretium eſt quædam ipſius Luciani audire verba ex latina translatione: *barbam habes & comam, tunicam non habes, nudus conſpiceris ac ſine calceis, delectaris nimirum vaga in humana, ac ferali vita. Nunc huc nunc illuc circumis, in arido præterea ſolo cubans, adeo ut plurimum etiam ſordium tritum iſtud pallium referat. Aquam bibis, comedis quicquid offenderis, gramen tibi ſufficit* (ad cubile)

Quæ ſatis oſtendunt à Juliano per inſignem calumniam Cynicos comparari Monachis, cum tamen eſſet magna differentia inter utrumque genus. Monachi dege-

degebant extra urbes in Cœnobiis, agros colebant, ut inde victitarent, & reliqua pauperibus largirentur, parebant ſuis præfectis, non diſcurrebant per urbes, noctu ſurgebant ad laudandumDeum,caſte vivebant, à Venere prorſus abſtinentes. Abſit ergo ut errones, vagi,Cynici nusquam conſiſtentes,nullum certum locum habentes, nullius imperio, & juſſis obnoxii componantur cum ſanctiſſimisMonachis,qui abdicaverant ſe omnibus bonis, ut deinceps nihil poſſiderent,atque ex opere manuum viverent.

Sed cui ignotum eſt maximum odium, quo Chriſtianos, & Chriſtianorum omnia inſtituta proſequebatur Julianus? diſcant interim Novatores noſtri temporis, qui Monaſticam vitam inſectantur, quemnam imitentur, dum Monachos irrident & damnant? Imitantur Julianum Religionis Chriſtianæ deſertorem.

CAP. LXXIII.

De Adventu Apollonii Tyanei tempore Neronis Romam. De Teleſino conſule addicto philoſophis. An juſſerit Nero ire in exilium philoſophos? quam parum tuta fides ſit Philoſtrati.

DOlendum eſt non totam narrationem Taciti de imperio Neronis ad nos perveniſſe. Forte enim haberemus nonnulla facientia ad philoſophiæ calamitatem, cujus auctor videtur fuiſſe ſævus Imperator. Sane Suetonius nihil de philoſophis pulſis ex urbe magno agmine agit. At non tacet

cet Philoſtratus libro IV. ubi ait Neronem non permiſiſſe, ut homines incumberent philoſophiæ, quam vanitatis accuſabat, accuſatosque non paucos, quod operam navarent divinationi. Cum porro Apollonius Romam ſe conferret, incidit in nemore Aricino in Philolaum philoſophum eloquentem quidem, ſed meticuloſum, à quo monitus eſt, ut mature ſibi conſuleret, neque tot ſocios in exitium duceret, Romæ namque philoſophos admodum vexari. Ejusmodi ſuaſione effecit, ut non pauci diſcipuli deſeruerint Apollonium diſceſſerintque ex agro Romano. Octo tamen ei conſtanter adhæſerunt. Meminit deinceps Menippi, qui non dubitavit Muſonium in carcere alloqui, & ſolari. Non omittit Philoſtratus Dioſcoridem Ægyptium itidem Apollonii diſcipulum.

Deinceps refert narrator congreſſum fuiſſe Apollonium cum Teleſino conſule, quem multis commendat verbis, permiſit namque ut philoſophus libere pro lubitu inviſeret omnia templa Deorum, & ſi quid emendatione indigeret, corrigeret.

An vero veriſimile ſit Demetrium Cynicum ſæpe miſſum fuiſſe ab Apollonio ad Neronem ad tollendam ſuſpicionem videat quæſo lector. Cur enim Nero ipſe non juſſiſſet ad ſe venire philoſophum? Cur tam facilis pateret aditus ad Imperatorem ſuperbum miſero Cynico?

Cur etiam, ſi Teleſinus ei favebat conſulari præditus auctoritate, ait Tigellinum in exilium miſiſſe Demetrium? an etiam veriſimile eſt, ſi Nero tantopere oderat philoſophiam & philoſophos, voluiſſe tam

fre-

frequenter Teleſinum tamque familiariter colloqui cum Apollonio, & haurire ab ipſo dogmata philoſophica? hoc certe fuiſſet à benevolentia Neronis cum ſummo periculo excidere.

An etiam veriſimilia ſunt illa, quæ ſubjiciuntur de Apollonio accuſato, & quod libellus, in quo ſcripta fuerat accuſatio, repertus fuerit expers ſcriptionis? & quod ſibi valde metuerit Tigellinus, juſſeritque eum abire libere, quo luberet.

Sed non eſt, quod valde laborem in elevanda fide Philoſtrati, aut Damidis, cum ſatis conſtet, quid jam pridem de ejusmodi opere ſcripſerint viri ſapientes, ne quis ſibi patiatur dari verba ab iis, qui voluerunt tot laudibus exornare hominem magicis artibus infamem, qualem fuiſſe Apollonium jam nemo dubitat.

Certe vacillare fidem Philoſtrati in hac narratione de Apollonii adventu Romam, ex eo colligere licet, quia Dio, Suetonius non nobis memorant exilium tot philoſophorum ſub Nerone, neque adeo tragicè exponunt ſtatum philoſophiæ.

Nonne vero in eo fallitur Philoſtratus, dum ait à Nerone occiſam matrem in mari, cum conſtet ex Tacito non ſubmerſam mari, quandoquidem non reſpondit eventus voluntati, ſed poſtea palam interfectam?

Cap. LXXIV.

De Dionyſio Alexandrino, qui videtur floruiſſe Romæ ſub Nerone.

Dionyſium Alexandrinum credibile eſt Romæ floruiſſe, quandoquidem teſtatur Suidas eum à Nerone usque ad Trajanum docuiſſe, ac bibliothecis præfuiſſe. Sed dices, non debere recenſeri, quando de philoſophia agitur, quandoquidem Grammaticus fuit. Reſponderim, ſubjicere Suidam non fuiſſe eum ſimplicem grammaticum, ſed philoſophum, quandoquidem fuit diſcipulus Chæremonis philoſophi, cui etiam Alexandriæ ſucceſſit. Grammaticorum nomen profectò cum litteratoribus non eſt confundendum. Nam olim publicè non absque ſtipendio interpretabantur Poëtas, & fabuloſam inprimis enarrabant hiſtoriam, ritus veteres exponebant, omne denique genus eruditionis ſtudioſæ juventuti propinabant. Inſtructi autem cognitione antiquitatis, periti librorum variorum nonnulli ex ipſis ulterius ſuam porrigebant diligentiam, quandoque etiam robur philoſophiæ ipſius conſectati. Quod præſtitit iſte Dionyſius Alexandrinus Glauci filius, qui meruit præeſſe Bibliothecis. Quis autem ignorat eos, qui Bibliothecarum illuſtrium ſunt præfecti, pollere omnigena rerum cognitione, eſſeque Criticos, ut de libris, & ſcriptoribus quibuscunque judicium facere poſſint, Apocrypha à Germanis ſcriptis ſecernere, egregios auctores commendare, excelſos ſuſpicere, futiles reji-

cere

cere norint? quorum quidem hominum magnum proventum vidit felicitas ſuperioris ſeculi, videtque noſtra. Poſtquam caligo præteritorum temporum perquam feliciter depulſa eſt. Si quis porro noſſe velit, quales fuerint veteres grammatici, legat Scholiaſtas græcos in Pindarum, in Ariſtophanem, in Theocritum, Euripidem, atque alios, evolvat ſcholiaſten antiquum Juvenalis, atque inprimis cognoſcat Servium in Virgilium. Subit autem miſerari vices Adoleſcentum, qui recentiores neſcio quos ſequuntur: Servium vero, talesque interpretes negligunt. Atqui vel ſolius antiquitatis cauſa erant longe recentioribus præferendi, cum præſertim non pauca ad philoſophiam facientia veteres illi Grammatici enarrent. Qualia valde multa ſunt apud Servium, ut propterea aliquando ego editurus ſim, Deo dante, de Serviana philoſophia commentarium. In Suidæ quoque collectaneis non contemnenda Veteris philoſophiæ fragmenta continentur, quæ tamen hactenus prorſus à noſtratibus philoſophis, qui nihil inſpiciunt præter interpretes protritos Ariſtotelis, neglecta, inſuperque habita fuerunt.

CAP. LXXV.

De Helvidio Priſco ſectatore Stoicorum, reverſo Romam ſub Galba.

EXoſculatur Helvidium Priſcum Romana philoſophia, quod ab ipſo magna fuerit aucta gloria, & impulſa, imo evecta ad ſplendorem dignitatis memorabilem. Quidni ſe tanto jactaret alumno,

alumno, qui ingenium illuſtre altioribus ſtudiis juvenis admodum dedit: non ut plerique ut nomine magnifico ſegne otium velaret: ſed quo firmior adverſus fortuita, Rempublicam capeſſeret. Sic enim de clariſſimi Senatoris primis annis loquitur Tacitus in IV. hiſtoriarum. Multi enimvero negotiis impares vacarunt ſapientiæ præceptis, & lectioni librorum, ut expertem negotiorum vitam, inutilemque commendarent. Aliter ſenſerunt Romani, quibus recta mens, quamvis immerito accuſarent Chriſtianos inertiæ, nam ipſi excludebantur ab honoribus ob religionem, navaturos cæteroqui ſuam operam Reipublicæ. At otium videtur tegere felicitatis nomine Ariſtoteles, dum ait hominis beatitudinem in contemplatione rerum eſſe poſitam. Hinc Averroës non pauca de conjunctione intellectus poſſibilis (ut vocant) cum Agente diſſeruit. In aliam ſententiam abibant Proceres Latini, qui putabant philoſophiam ad decus, & emolumentum Reipublicæ dirigendam. Cur enim ipſe Ariſtoteles ſummum finem humanæ vitæ penes Politicen collocat? Politice porro non tam in contemplando, quam in agendo occupatur. Ultimus ergo finis poſitus in eo eſt, ut virtutes, quæ appellantur practicæ, exerceantur. Sed de hac quæſtione alio loco agemus, ubi ſimul oſtendemus, cur Architectonicam vocaverit Politicen Peripateticorum Princeps. Ad Priſcum revertor, audioque Tacitum narrantem à Priſco auditos Stoicos, quorum ea capitalis fuit ſententia: *ſola bona honeſta, mala tantum, quæ turpia. Potentiam, nobilitatem,*

cæteraque extra animum, neque bonis, neque malis annumeranda.

Quæ opinio magno robore videtur inſtruere mortales adverſus caſus adverſos, impellereque hominem, ut nudus, & expeditus ſolam virtutem ſectetur.

Res ipſa cæteroqui clamare videtur ex bonorum cenſu non eſſe excludenda nobilitatem, & ejuſmodi alia. Cur enim tanto ſtudio talia comparare plerique omnes ſatagunt? cur paupertatem, exilium, infamiam tantopere averſantur? Neque eſt, quod dicas, molleſcere animos noſtros, quando talia audimus. Mortales enim nati, & nudi pluribus rebus indigemus, & abſque iis vitam non poſſumus tolerare, omneque animal ſtatim, atque naſcitur ſatagens eſt alimenti, vitatque diligenter, quæ nocitura videntur. Mirum autem non eſt, ſi Stoici à cenſu felicitatis excluſerint ea, quæ humani generis conſenſui bona videntur, cum alia multa prodiderint à communi hominum ſenſu abhorrentia. Sed quicquid ſit de ea opinione, Helvidius à Thraſea didicit libertatem, intempeſtivo ſane tempore, cum imperaret Nero, ſub quo nolle ſervire, erat exitium ſibi attrahere: Helvidius tamen mira felicitate evaſit mortem, ſeque exul reſervavit ad meliora tempora. Rediit enim ſub Galba, accuſavitque delatorem Thraſeæ Marcellum Eprium, quam tamen accuſationem dubia voluntate Galbæ omiſit, ſciſſo in ſtudia Senatu.

Viſum fuiſſe aliquibus appetentiorem famæ, ait Tacitus, quod ſapientes ſoleant plerumque laborare nimia gloriæ cupiditate. Nam Tertullianus *animal gloriæ*

gloriæ vocavit philoſophum. Apud Arrianum in Epictetum lib. III. cap. XXIII. habetur diſſertatio de iis, qui oſtentationis ergo legunt & diſputant. Inducitur ibi philoſophus, qui dicit: laudato me homo. Quomodo vis laudem? dic mihi, papæ, & præclare. Subjungit Arrianus: Num aſpernanda ſunt hæc? abſit. Num vero philoſophus homines ad ſe audiendum invitat? quis medicus rogat, ut aliquis ſe ab ipſo curari ſinat? refert ibidem nonnulla, quæ dicebat Rufus philoſophus: ſi tantum habetis otii, ut me laudetis, ego nihil dico. Itaque ſic dicebat, ut quisque noſtrum qui aſſideremus, putaret ſe ab aliquo criminis cujusdam reum peragi. Sic reprehendebat ea quæ fiebant, ſic mala cujusque ob oculos ponebat, ſchola philoſophi medica eſt. Non inde exeundum cum lætitia, ſed cum dolore.

Cauſam cur appetentior famæ videretur Priſcus, eam ait fuiſſe Tacitus, *quod cupido gloriæ noviſſimè exuitur.* Id duplici poteſt intelligi ratione. Exuitur enim cupido gloriæ, vel ob ſatietatem, vel quod ille, qui valde profecit in ſtadio ſolidæ virtutis, tandem agnoſcit appeti ſapientiam debere, & virtutem ambiri, non ut laudemur & videamur eſſe ſapientes, ſed ut ſimus tales, quales natura & Deus nos eſſe volunt. Primo ſenſu ſi quis exuat gloriæ cupiditatem non agit omnino philoſophum, quandoquidem non ex tota animi ſententia ejusmodi deſiderium depoſuit, ſed quod jam tædium inciperet percipere. Honore aliqui tandem ſatiantur, quod quæ toties recurrunt, licet ſua natura ſint jucundiſſima, tandem faſtidium pariant, aut ſaltem non admodum appetantur. Ut

enim maxime appetuntur, quæ negantur & abſunt, & cum difficultate obtinentur, ita quæ obvia ſunt, & facilia, licet cæteroqui præclara, ſua copia, ſuaque præſentia incipiunt minoris æſtimari.

Si quis autem exuat gloriæ cupiditatem, quod virtus ambienda ſit non gloriæ cauſa, ipſe philoſophum agit, ſolidique ſapientis partes implet. Sic Lipſius vir profecto ſapiens in fine vitæ ſcripſit verſiculos, quibus teſtatur ſe paraſſe famam, ſed tandem ſe animadvertere omnia fumum eſſe, & umbram & nomen inane.

Hoc difficillime ſibi potuiſſet perſuadere, cum inciperet edere libros. Quantopere enim gaudent ſcriptores librorum quando vident ſuos fœtus diſtrahi. Si ſecus res cadat, quam triſtes ſunt, mœrorique indulgent. Marcus profecto Imperator in libis de vita ſua multus in eo eſt, ut contemptum gloriæ animis mortalium inſerat. Talia tamen facilius eſt approbare loquendo, quam ſentiendo; neſcio enim, quomodo fiat, ut gloria quam maxime animum, mentemque perurat.

Sed ad Priſcum revertatur oratio. Plinius de eo ſic: *Fuerat alioqui mihi cum Helvidio amicitia, quanta potuerat eſſe cum eo, qui metu temporum nomen ingens pares virtutes ſeceſſu tegebat.* Quod referendum ad tempora Domitiani, ſub quo videtur affectus inſigni injuria à Publicio Certo, ut apparet ex eadem Epiſtola. Hinc Plinius ſcripſit librum de ultione Helvidii, cujus ipſe meminit in eadem Epiſtola, & cui non pauca addit.

Illud

Illud non omittendum, quod dixit Marcellus apud Tacitum, cum in ſenatu contradiceret Helvidio: *Conſtantia, fortitudine, Catonibus & Brutis æquaretur Helvidius.* Vides quid ſentirent ea tempeſtate mortales de Helvidio, in quem propterea extare volo hoc epigramma:

Helvidium niveis in cœlum gloria pennis
Tollit, & ambroſiæ non ſinit eſſe rudem.
Nam crudele odium effugiens, iramque Neronis
Deſeruit patriam, Romuleumque larem.
At quando audivit dirum periiſſe Tyrannum,
Se Romæ incolumem, reſtituitque ſuis.
Plurimaque expediit ſancti pars magna ſenatus
Quæ Tacitus memorat, grataque fama canit.
Usque adeo à primis refert ſectarier annis
Virtutisque tholos, ſidereosque ſophos.

Cap. LXXVI.

De Veſpaſiano colloquente cum Apollonio Tyanæo Alexandriæ.

DE Veſpaſiano ſic loquitur Philoſtratus, ut dicat cum eſſet Alexandriæ congreſſum fuiſſe cùm Apollonio, & lubenter audiviſſe hominem variis de rebus differentem, multaque didiciſſe ad imperium facientia.

Neſcio autem an veriſimile ſit Dionem & Euphratem celebres philoſophos invidia flagraſſe adverſus Apollonium, & coram Imperatore diſputaſſe de veteri libertate reſtituenda vel non. An enim credibile eſt prudentiſſimum, cautiſſimumque Principem voluiſſe

luiſſe dare operam talibus ſermonibus, cum adhuc cum multiplici colluctaretur difficultate, neque exploratum haberet, an eſſet obtenturus imperium?

Neſcio etiam an Apollonius voluerit eam tueri ſententiam, ut negaret eſſe reſtituendam veterem Reipublicæ formam, ſolent namque favere libertati philoſophi.

Mirum autem eſt, à Tacito mentionem factam non fuiſſe Apollonii, qui ſi credimus Philoſtrato totius mundi oculos in ſe converterat, cum tamen alia enarret, quæ contigerunt, cum Veſpaſianus Alexandriæ eſſet.

Monita porro, quæ ibidem narrat hiſtoricus, ſuggeſta fuiſſe ab Apollonio Imperatori, pulchra admodum ſunt, ſed forte conficta ab ipſo hiſtorico.

Fac, inquit, ut tibi quoque imperent leges. Auge cultum Deorum. Sic educa filios, ut mereantur tibi ſuccedere. Voluptates, quibus inſanit pleps, paulatim tolle. Conſtat autem ad frugalitatem aliquam revocatos Romanos auctoritate, & exemplo Veſpaſiani.

An vero habebimus fidem Philoſtrato effeciſſe monendo Apollonium, ut plebs Alexandrina ſuſtulerit ludos Circenſes? vix inveniet hiſtoricus, qui hoc credat. Nihil enim magis expetebant tunc homines, quam talia certamina, diviſi in factiones, quas non ipſe Imperator potuiſſet tollere. Certe Juſtinianus incidit in maximum periculum amittendi Imperii ludorum Circenſium cauſa.

Fides ergo ſit penes Philoſtratum, & credat qui vult conſilio Apollonii deſiiſſe plebem Alexandrinam vacare Circo. Sanctiſſimi etiam Antiſtites

Chri-

Chriſtiani licet ſubinde in ejusmodi ludos inveherentur, non potuerunt tamen eos prorſus abolere.

Cap. LXXVII.

Joſephum hiſtoricum accenſendum eſſe philoſophis apud Romanos, digreſſione quadam defenditur ejus hiſtoria adverſus calumnias Saliani & Maſcardi.

A Veſpaſiano ductus eſt Romam Joſephus, captus in bello Judaico, vixitque in urbe etiam ſub Domitiano, magnifactus à patre, ambobusque filiis. Quod vero debeat inter philoſophos recenſeri multa oſtendunt. Sub finem antiquitatum Judaicarum ait: *promiſi etiam me ſcripturum quatuor libros de Judæorum opinionibus, de Deo, deque ejus eſſentia.*

Enarrat originem creationemque mundi cum Moſe ſtatim in principio antiquitatum.

Philoſophicum in morem multa depromit de Imperio rationis, quando mortem Machabæorum recenſet.

Ipſe teſtatur in principio ſuæ vitæ *ſe addictum fuiſſe Phariſæorum placitis, proxime ad Stoicam apud Græcos ſectam accedentibus.* Et prius ſe exercuerat apud Eſſæos, qui pulcherrimè philoſophabantur, & allegorias elegantes ad intelligendas Sacras litteras adferebant; de quibus tam multa Philo, à quibus etiam absque dubio magnam partem ſuarum expoſitionum accepit.

Adde Joſephum *duro victu* eſſe uſum, & ſe exercuiſſe in ſolitudine cum quodam Banno trium annorum ſpatio, domando corpus mira aſperitate, quæ ad philoſophiam procul dubio faciunt. Nam Sectarii noſtri temporis, qui talia ſpernunt & irrident, ne pilum quidem ex philoſophia cenſendi ſunt habere.

Dices, Joſephus fuit miles. Non ergo philoſophus. Nam quid magis repugnat philoſophiæ, quam mercede conduci ad occidendos homines?

Reſpondeo, aliud eſſe conduci mercede à Principe in militiam, aliud arma neceſſaria pro patria capere, & fortiter adverſus hoſtes libertatis ſeſe gerere. Joſephus in neceſſarium bellum tractus eſt, ut ipſe de ſe ſcribit, hoc non evertit philoſophiam. Nam & Socrates militavit, & neceſſaria defenſio jure naturæ omnibus incumbit. Deliri enim Anabaptiſtæ, qui militiam prorſus damnant, non confutatione, ſed riſu ſunt digni.

Rurſus Salianus aliquis, aut Auguſtinus Maſcardus Salianum ſecutus, dicent eum corrupiſſe Sacras antiquitates, & invertiſſe ut adularetur Veſpaſiano, Tito, Domitiano; imo pleraque omnia & inſigniora miracula, quæ extant apud Moſen aut negaſſe, aut interpolaſſe rem facturum gratam iisdem Principibus. Sic ergo indignum eſſe, qui philoſophiæ nomine commendetur, cum philoſophia generoſa ſit, & palpum non obtrudat, ſed libertate in dicendo Vero utatur.

Sed non eſt difficile defendere Joſephum adverſus impudentiam Saliani, & Maſcardi, nam quod veridicus fuerit hiſtoricus, docent libri de bello Judaico,

daico, qui repoſiti ſunt in publica Bibliotheca Romæ, quosque ne ipſe quidem Salianus, & Maſcardus, ut falſos reprehendere ſunt auſi.

Quod vero in antiquitatibus noluerit adulari, ex eo conſtat, quia non apparet Principes illos valde fuiſſe ſollicitos de ejusmodi opere. Certe id abſolutum eſt anno XIII. Domitiani. Non ergo voluit adulari Veſpaſiano, & Tito, qui mortui erant: nec Domitianus ipſum impulit ad ejusmodi opus, ſed potius Epaphroditus, vir inſignis, & omnimoda rerum cognitione inſtructus, cui etiam eas antiquitates dedicavit. Nam in præfatione ait ſibi obrepſiſſe ignaviam, ſed hortatu Epaphroditi perrexiſſe in texendo opere, & in fine ſuæ vitæ hæc verba exarat: *tibi autem Epaphrodite virorum optime toto contextu antiquitatum dedicato hic in præſentiarum ſcribere deſino.* Falſum igitur eſt in gratiam Domitiani voluiſſe corrumpere ſacra volumina. Nam ei opus non dedicavit.

Tantum abeſt, ut Joſephus evertat miracula Moſis, ut multa alia recenſeat, quæ faciunt ad oſtendendam divinitatem earundem ſacrarum literarum. Vide narrationem ejus, quando agit de translatione S. litterarum ſub Ptolomæo Philadelpho. Vide quæ habet, quando agit de Machabæis, de everſione Hieroſolymorum.

Quid quod inſigne teſtimonium perhibuit Domino noſtro Jeſu Chriſto, dum dixit, eum operatum fuiſſe miracula. Quæ narratio procul dubio non placuit Imperatoribus præſertim Domitiano, qui S. Johannem expulit urbe.

Usque ad Salmeronem, & Salianum non extitit, qui ejusmodi ſcelus impegerit Joſepho. S. Hieronymus eum recenſuit inter ſcriptores Eccleſiaſticos. Auctores hiſtoriæ Eccleſiaſticæ antiqui eum commendarunt. An cœperunt videre Salmeron, Salianus, Maſcardus, quod cernere non potuerunt tot ſapientiſſimi viri?

Photius, qui acerrimum agit cenſorem librorum, talem accuſationem omiſit. Imo dixit: *eum in pleriſque & ferè omnibus concinere Moſi: in quibuſdam eſſe diverſum.* Hoc non eſt dicere eum inſigniora miracula à Moſe narrata ſuppreſſiſſe, corrupiſſe, invertiſſe.

Si adeo mendax eſt Joſephus, cur quæſo Ruffinus presbyter ejus libros in ſermonem tranſtulit latinum? cur ſummus Pontifex Gelaſius cum recenſeret libros Apocryphos, & à quibus debemus abſtinere, non numeravit Joſephi antiquitates? Cur ejusmodi liber translatus in Italicum ſermonem ſemper palam in Italia venditus, & lectus eſt non prohibente, non reclamante Sancta Eccleſia Romana, quæ dat operam, ne pernicioſi proſtent libri?

At, inquit Maſcardus, Canus graviſſimus Theologus ipſum quoque accuſavit. Reſpondeo, à Cano defendi non oppugnari Joſephum, ut quilibet poteſt animadvertere, qui opus Cani inſpicit. Nam ſi Maſcardus legit Canum, & poſt lectionem auſus eſt dicere accuſari Joſephum, mentitus eſt turpiter. Sed credibile eſt cum Maſcardus ſcriberet de arte hiſtorica non vidiſſe locum Cani; abſtinuiſſet cæteroqui à recenſendo ipſo inter eos, qui ut mendaciloquum ex-

explodunt,& conterunt Joſephum: aut ſaltem à confutatione rationum pro Joſepho à Cano allatarum, non abſtinuiſſet, ne mutilus foret in oppugnando tanto hiſtorico, pro quo ſe exercuit magnus Theologus.

Ut vero magis ac magis evaneſcat Saliani & Maſcardi calumnia age prodeant verba Cani, quæ ejusmodi ſunt lib. XI. cap. ult. *Joſephi in hiſtoria fidem non Romani modo Principes, ſed viri quoque Eccleſiæ celebrarunt Egeſippus bonus inprimis auctor, vir probatæ fidei; ac gravis omnino hiſtoricus Joſephum egregie laudat. Quod ad hiſtoriæ auctoritatem pertinet Hieronymus non dubitat locum illi inter Eccleſiaſticas hiſtorias recenſere. Euſebius Cæſarienſis, Sozomenus, Nicephorus, ut alios omittam miris modis Joſephi hiſtoriam commendant. Quin & Joſephus ipſe hiſtoriam ſuam gravibus probabilibusque rationibus commendavit. Quæ non minorem faciunt fidem, quam ſi eædem ab Hieronymo, aut alio quopiam auctore poſitæ fuiſſent.*

Et quia in quibusdam videtur aliter locutus,quam forte videatur res ipſa poſtulare, ut homo fuit, reſpondet Canus: *Errores fuere ignorantis,non mendacia fallentis*, & ſubjicit: *Neque æquum eſt paucis è maculis labem toti narrationis corpori aſpergere.* Hæc & plura Canus, cujus auctoritati tantum ineſt pondus, ut levitatem Saliani, & Maſcardi, qua uſi ſunt in hiſtorico reprehendendo facile deprimat, & humi affligat.

Sed [illegible]geret Maſcardus, Canum eum reprehendiſſe in libro ſecundo Cap. XVIII. ubi agitur de ſepulchris

chris Patriarcharum. Reſpondeo, Canum poſtquam dixit ſepultos eſſe in Sichem, ſubjungere: *quantum verò fidei* Joſepho ſit in hiſtoria *habendum, undecimo poſtea loco demonſtrabimus.* In quo quidem loco ea depromit, quæ ſuperius transſcripſi, quæque legenda fuerant à Maſcardo, & diligenter refellenda. Nam arripere teſtimonium Cani ubi objicit & non reſpondet, nec totam ſuam ſententiam de operibus hiſtoricis Joſephi aperit, hoc vero eſt imitari Pleſſæi Mornæi temeritatem, qui truncabat teſtimonia S. Patrum.

Reſtat tamen Salianus, reſtat Maſcardus, & clamat corruptum eſſe locum Exod. XXII. ubi Moſes dixit non eſſe maledicendum diis, quod intelligendum erat de Magiſtratibus, non de diis gentium. At Joſephus, ad deos gentium Moſis verba transfert impie. Sic enim Maſcardus: *Qui l' empio iſtorico il vero ſentimento della divina legge in grazia de' gentili Imperatori corrompe, e dice.* Si tantopere cupiebat placere Imperatoribus Joſephus, cur quæſo ad Idololatriam, & cultum deorum non migravit? Cur edito libro tantopere celebravit Machabæos, qui mortui ſunt, cum noluiſſent parere gentilibus jubentibus, ut desererent Moſaicam legem? Cur doctiſſimum opus condidit pro divina antiquitate Moſaicarum literarum adverſus Apionem, adverſusque omnes Gentiles?

Nam ad locum Exodi quod attinet, etiam Philo in libro de Monarchia ſic eſt interpretatus: *exæquatis,* inquit, *honore, jureque cum aliis civibus propter abdicatam ſuperſtitionem traditam ſibi dudum à majoribus non*

non permittit effræni linguæ petulantia convitiari diis creditis falſa perſuaſione aliarum gentium : ne & illæ irritatæ prorumpant in voces nefarias contra Deum optimum maximum nimirum non docti verum à falſo diſcernere propter depravatam inſtitutionem, & inveteratum errorem. Nec tamen quiſquam dixit Philonem Joſepho antiquiorem voluiſſe verba Moſis corrumpere, ut gratificaretur Imperatoribus, cum tam conſtanter cauſam Judæorum egerit coram Cajo Caligula, nec ejus reformidaverit iram. Credibile igitur eſt Joſephum talem interpretationem accepiſſe à ſuis Magiſtris, & putaſſe, licet errando, ſic poſſe exponi. Nam Elohim frequentiſſime ſignificat Deum, valde autem raro Magiſtratus. Nec approbare ſe exiſtimavit Joſephus religionem Gentilium, quando dixit Moſen vetuiſſe, ne quis exterarum gentium diis maledicat. Tantum eſt opinatus non debere, quando quis verſatur inter gentes erumpere in convitia adverſus Numina nationum, ne toti genti magnum malum attrahatur. Certe nec nos Chriſtiani, quando verſamur Conſtantinopoli aut alibi apud Turcas palam, & ubique aſſerimus eſſe impoſtorem Mahumetem. Ita tamen ſentimus, & ita nos ſentire ſciunt Turcæ, qui propter talem ſententiam nulli Chriſtiano faceſſunt negotium, at ſi quis in urbe aliqua Mahumetana clamaret: impoſtorem eſſe Mahumetem, præſens exitium non evaderet.

Nonne ſcimus nos perfidos Judæos male ſentire de noſtra Religione, eos propterea non punimus, at puniremus, ſi quis elata voce, & claris verbis malediceret Servatori noſtro Jeſu Chriſto. Talia igitur eſſe-

effecerunt, ut opinatus fuerit abs que dubio cum ſuis Magiſtris ita explananda eſſe Moſis verba Joſephus.

Fateor interim, & ipſe cum Interpretibus locum Moſis non de diis gentium, ſed de principibus eſſe accipiendum.

At cur inſeruit verba illa: *Nemo peregrina Sacra deprædetur, neque donaria alicui Deo conſecrata?* absque dubio ejusmodi additionem itidem à Phariſæis accepit. Nam & ſeptuaginta interpretes quædam addiderunt ſacris literis tanquam explanatores libertate quadam uſi.

Voluerunt enim ſignificare Judæos, quando verſantur inter gentes, quarum etiam imperio ſunt obnoxii, non debere eò prorumpere, ut frangant Idola, aliquid ex templis Nationum ſubripiant, ne ejusmodi factum incommodet toti cœtui Judæorum illic degentium. Quod vero Moſes juſſit aras Idololatrarum eſſe ſubvertendas, id referendum ad Judæos in Palæſtina dominaturos, qui ideo diſceſſerant ex Ægypto, ut ingreſſi terram Canaan procul ab Idolis colerent Deum. Quis porro neſcit longe aliter ſe gerere eos, qui imperium obtinent, quique imperio alieno ſunt ſubjecti? Chriſtiani ſub Imperatoribus Gentilibus non frangebant Idola, non demoliebantur templa, non impediebant quemquam, quo minus ſacrificaret diis. At poſtquam Cæſares Chriſtum cœperunt adorare, proſcripta eſt Idololatria, everſa Idola, humi dejecta templa deorum.

Rurſus eſt moleſtus Maſcardus, & ait de Joſepho narrante tranſitum Iſraelitarum per Jordanem: *egli*

tutte

tutte le circoſtanze di quell' auvenimento diſſimula, che poſſono ſollevar l' animo ad ammirar la divina potenza, ed ad effetto come naturale aſcrive il fortunato paſſaggio. O effrontem perfrictamque frontem. Adſcribantur verba Joſephi lib. V. cap. I. antiquit. *Deus ſe illis tranſitum procuraturum promiſit fluentis* (Jordanis) *imminutis. Ut vero Sacerdotibus primis vadabile eſt viſum, quod & aqua decreviſſet & glarea non amplius vi undarum volveretur, ſed ſtabile ſolum exciperet veſtigia, omnes jam intrepide vadum tranſibant, talem redditum cernentes, qualem Deus promiſerat. Ipſi egreſſi fluvium liberum ei, & ſolitum curſum reliquerunt, qui confeſtim auctus ad priſtinam aquarum molem rediit.* Hocne eſt diſſimulare, & ſilere omnia, quæ excitare poſſunt mentem ad ſuſpiciendam divinam potentiam? hoc eſt tribuere naturæ tranſitum illum? Atqui palam ait Joſephus Deum pollicitum ſe imminuturum vim Jordanis. Aſſerit imminutas undas, & vadabilem effectum fluvium, cum non eſſet vadabilis, effectumque talem, qualem fore Deus promiſerat. Affirmat egreſſis Iſraelitis talem redditum, qualis erat antequam Deus diceret ſe imminuturum ejus undas. Nonne clariſſime hic apparet miraculum? namque absque Deo ſi fuiſſet, nequaquam tranſiſſent. In eo tantum ſupereſt difficultas, dum videtur Joſephus negare exſiccatum fuiſſe opinarique imminutum tantummodo. Fac ergo Joſephum non ſatis pro dignitate rei locutum, atque in eo deceptum, non propterea dicendus eſt abſolute ſuſtuliſſe miraculum, & tribuiſſe naturæ, quod tribuendum erat Deo, cum non adeo multum videa-

tur

tur referre an fluvius prorſus fuerit exſiccatus, an tantum imminutus, & quidem divinitus pro Iſraelitis,cum antea tam magnus eſſet, ut vadari nequaquam poſſet: magis tamen elucet Dei potentia,ſi dicas prorſus exſiccatum fuiſſe.

Iterum Maſcardus accuſat Joſephum, quod perverterit narrationem de tranſitu filiorum Iſrael per mare rubrum. Cur ita? quia neſcire ſe ait divinitus ne id factum, an ſponte naturæ?

Diſſerit ibi Joſephus adverſus eos, qui poſſent de mari cedente Iſraelitis dubitare, oſtenditque tale aliquid *voluntate Dei* eveniſſe Magno Alexandro. Non ergo controverſiam eſſe movendam Moſaicæ narrationi. Ergo agnoſcit miraculum in profectione Alexandri, quandoquidem Deus eum deducebat ad puniendos Perſas.

Addit Joſephus mirari nos non debere ceſſiſſe mare Judæis, qui valde ſancti erant ſimplices, & ab omni pravitate remoti. Forte igitur ipſam naturam voluiſſe eis ſeſe morigeram præbere. Quæ verba non omnino tollunt miraculum. Nam mirandis motibus naturæ quandoque Deus utitur ad opem ferendam mortalibus, quod videre eſt in morbis, in quibus depellendis natura mirabiles ſibi quandoque invenit meatus,ut tradit etiam Galenus. Nonne prodigia ſunt aliquatenus opus naturæ, ipſis tamen Deus utitur ad nos commonefaciendos? Theologi dicerent, & Scholaſtici, aliquid dici ſupernaturale vel ſecundum ſubſtantiam, vel ſecundum modum. Tranſitum illum ſaltem fuiſſe ſupernaturalem ſecundum modum. Quando itaque Joſe-

Joſephus ait: *ſed de his, ut cuique libet, ita ſentiat*, non permittit dubitare de mari, quod mirum in modum ceſſerit Iſraelitis, ſed fert, ut quis exiſtimet naturam quaſi conſciam probitatis Judæorum famulatam fuiſſe, Deumque ejuſmodi promptitudine uſum ad transmittendam gentem ſibi acceptam.

Atque hæc prolata ſint,dum conor inſignem hiſtoricum Joſephum tueri, adverſus Salianum, & Maſcardum, impudenter calumniantes, & intemperanter abutentes lectoris patientia.

Cap. LXXVIII.

De immenſa rerum cognitione, qua emicuit Romæ Plinius, Tito Imperatori cariſſimus.

PRonunciamus vel in ſolo Plinio ſecundo temporibus TitiVeſpaſiani Imperatoris potuiſſe florere Romæ philoſophiam. Nam unus divina ſolertia complexus eſt, quæ plurimi ſcriptores de rebus naturalibus in ſuos comportaverant commentarios. Et tamen ſuffurabatur tempus, quod hiſtoriæ naturali componendæ impendebat, cum graviſſimorum negotiorum ſerie, quam imponebat Imperatoris auctoritas, deſtineretur. Certe ipſe præ omnibus mortalibus videtur maximam habuiſſe temporis, quod citiſſime labitur rationem. Quam vero carus fuit Tito Principi eruditiſſimo. Præfatio profecto, qua compellat rerum terrarum Dominum, familiaritatis plena eſt. Cur ita? quia familiariter ſecum loqui, & agere volebat Plinium ſuum Imperi-

perator. Non enim mutatus fuit Titus, quando ad Imperium pervenit, niſi ut poſſet prodeſſe. Diſcant Principes, nequaquam diminui majeſtatem amica familiaritate, quæ viris egregiis, qualis Plinius fuit, impenditur. Sed noſtra tempeſtate, quia philoſophia carent Proceres, cupiunt timeri, difficulterque ad ſe doctiſſimos homines admittunt. Cujus culpæ dignas ſane luunt pœnas, hærentes ſemper in luto inſcitiæ & ignorantiæ.

Cap. LXXIX.

De Muſonio Tuſco Philoſopho, qui exulavit ſub Nerone. Notatur error apud Suidam.

MUſonius fuit filius Capitonis, Tyrrhenus Vulſinienſis. Tacitus in annalibus vocat eum *Tuſci generis.* Habuit prænomen Cajus, ut colligitur ex eodem Tacito, & Plinio libro tertio Epiſtolarum. Fuit equeſtris ordinis, ut eſt apud eundem Tacitum in tertio hiſtoriarum. Æmulatus eſt Stoicorum placita, ſtudiumque philoſophiæ, quod narratur ab illo ipſo hiſtorico. Magna fuit confidentia & libertate in reprehendendo præditus, quæ res ei valde incommodavit apud Neronem. Conjectos enim eſt in carcerem, ut eſt apud Philoſtratum de vita Apollonii, qui Philoſtratus narrat cupiſſe Apollonium, cum eſſet Romæ alloqui Muſonium in carcere, ſed id non impetraſſe à Muſonio, quia ſperabat. Se ſic locuturum de ſua innocentia, ut dimitteretur liber, ſcripſit ergo ad Muſonium Apollonius,

acce-

accepitque reſponſum, pluresque exaratæ ſunt Epiſtolæ: Nunquam tamen ſunt congreſſi, ut intelligas falſum eſſe, quod aliqui ſcripſerunt Muſonium fuiſſe diſcipulum Apollonii. Falſum etiam eſt, quod legitur apud Suidam, nempe occiſum fuiſſe juſſu Neronis. At conſtat in exilium juſſu ejusdem miſſum, quod refert Dio Caſſius libro LXII. projectus eſt in inſulam Gyaram ſive Gyaras, quod eſt apud Philoſtratum libro VII. deportationibus enim infamis erat parva inſula, ſive ſcopulus; hinc Juvenalis:

Aude aliquid brevibus Gyaris, & carcere dignum
ſi vis eſſe aliquid.

Vixit ad imperium Veſpaſiani, & ex exilio rediit, poſtquam ſævus Nero obiit. Hæc fere de Muſonio apud ſcriptores leguntur, licet omitti non debeat egregius locus Taciti, in quo fit mentio Muſonii in XIV. Annalium ſub Neronis imperio. Etenim quando agit de Plauti morte ait non deeſſe, qui ferant à ſocero nuntios veniſſe, tanquam nihil atrox immineret, *doctoresque ſapientiæ* Cœranum græci, *Muſonium Tuſci generis conſtantiam opperiendæ mortis, pro incerta, & trepida vita ſuaſiſſe.* Fuit hæc ſuaſio digna tantis philoſophis. Etenim notat alibi graviſſimus hiſtoricus non paucos deſiderio vivendi fractos fuiſſe. Adeo ut cum poſſent conſtanter, & more fortium virorum mori, dum ſibi blandiuntur, & ſperant conſecuturos veniam molliter ceſſiſſe timori, & coactos occumbere absque ullo honore, perinde ac ſi fœminæ forent, aut homines plebeji. Non ita ſe geſſit Cremutius Cordus ſub Tiberio, qui certus mori oravit graviter & diſſeruit contra crudelitatem Tiberii

berii & Sejani, quæ oratio recitata eſt à Tacito, digna quæ legatur & relegatur, ut Cremutianæ conſtantiæ ſplendor magis ac magis eluceſcat.

Sed aliquid adhuc de Muſonio referendum. Nam Philoſtratus ait tanti habitum inter philoſophos tempore Neronis, ut primus cenſeretur eſſe poſt Apollonium. Præditum fuiſſe corpore admodum robuſto. Cæteroqui enim in carcere animam exhalaſſet. Quod vero ibidem vocatur Babylonius, id prorſus rejiciendum, cum Tacitus diſertè dicat fuiſſe Tuſcum.

Cap. LXXX.

Expenduntur quædam, quæ narrantur à Philoſtrato ad philoſophiam Titi facientia. Attingitur aliquid de Lepore marino, & Veſuviano incendio.

AD Titi Cæſaris philoſophiam refer, quod eſt apud Suetonium: *cognita utriusque genitura, imminere periculum ambobus* (duobus patritiis) *affirmavit.* Hinc collige Chaldaicæ ſcientiæ fuiſſe peritum, quam quidem ſcientiam quodam dialogo conatus eſt defendere Lucianus, cum tamen in aliis dialogis intemperanter invehatur in philoſophos frivolis motus argumentis.

Idem Titus philoſophia procul dubio impellente, poſtquam adeptus eſt principatum, nullam cædem fecit, & caſte vixit, qua de re legendi Dio & Suetonius. Nam quid magis repugnat philoſophiæ, quam ſanguinem fundere? Certe, etſi ſciret ſibi inſidias para-

parari à fratre, nunquam potuit adduci, ut eum interficeret, quod exemplum ſane memorabile Ludovicus XIII. Francorum Rex hoc tempore imitatur, qui toties fratri nova molienti ignovit.

Caſtitas quoque decet philoſophum, & Titus Berenicem, quam tantopere amabat, factus Imperator dimiſit ex urbe. Sic Julianus poſt obitum uxoris,ut philoſophia redundabat omni abſtinuit Venere.

Si credimus Philoſtrato in vita Apollonii, Titus noluit coronari ob expugnatos Judæos, quod ejusmodi victoria opus Dei foret iram ſuam contra perfidam gentem oſtendentis, quæ tamen narratio videtur vacillare, quandoquidem teſte Suetonio, *triumphavit cum patre.* Plus profecto eſt triumphare, quam coronari. Si renuerat Titus coronari, cur voluit triumphare? ſic prope innumera videntur reperiri in illa vita Apollonii fabuloſitati affinia. Philoſtratus tamen refert epiſtolam ea ſuper re ab Apollonio ſcriptam ad Titum, additque accerſitum philoſophum, Titumque ei oſtendiſſe Epiſtolam Patris, qua fateretur Apollonium eſſe auctorem omnium bonorum, quæ ipſi haberent: quod quis credat? An Apollonius Veſpaſianum fecit Imperatorem? vult hoc credi de Apollonio Philoſtratus. Fruſtra. Nam id prorſus inveriſimile eſt, & Euſebius contra Hieroclem id mendacium arguit,proptereaque putat totam illam ſcriptionem nutare, & conflatam ex mendaciis.

Narrat deinceps Philoſtratus Demetrium Cynicum philoſophum, à quo edoceretur Titus, traditum ab Apollonio, qui quidem Demetrius tunc Ro-

mæ erat. Hujus quoque narrationis fides ſit penes auctorem. Certe qui de Tito ſcripſerunt, nihil tale recenſuerunt.

Illud etiam mirum eſt, quod ait Apollonium dixiſſe Tito eodem genere mortis moriturum, quo peremtus fuit Ulyſſes. Ulyſſem periiſſe ictum à paſtinaca, cujus radius venenatus eſt, ut propterea ejusmodi piſcis abſciſſa cauda vendatur. Neque enim tota paſtinaca venenata eſt, ut falſo putavit Raviſius Textor. Quin edulis eſt absque nocumento, ut recte docet Rondeletius. Tantum ejus radius eſt venenatus, qui abſcindi ſolet, ne obſit emptoribus paſtinacæ.

Sed num à paſtinaca ictus obiit Titus? Philoſtratus ait Domitianum uſum lepore marino, ad tollendum fratrem. Quod tamen non certo affirmat, nec affirmandum certe eſt. Quandoquidem Suetonius nihil de lepore marino profert, tantum febrim memorat. Dio ait: *Fama eſt fratrem ei mortem attuliſſe.*

Quam autem venenatus ſit lepus marinus, & quam gravia afferat ſymptomata exponunt ſcriptores de animalibus, & Medici Aëtius, Paulus Ægineta, neque enim credendum eſt tantum pulmonem ulcerari, quod viſus eſt dicere Galenus, qua de re diligenter agit Rondeletius lib. XVII. cap. XI.

Quæ protuli, quod ad philoſophiam faciant, cujus philoſophiæ peramans fuit Titus, à quo etiam antequam diſcedam dicam extitiſſe ſub ejus imperio incendium Veſuvinum, quod magnum fuit prodigium, & optimi Imperatoris portendit mortem, calamitatem.

temque publicam ſub Domitiano oſore philoſophiæ, & philoſophorum. Ne quis irrideat ſignificatum talium prodigiorum.

Sed inquies: Arſit ſuperioribus annis Veſevus mons, quid mali conſecutum? tali interrogatione me pupugit vir ex numero. Procerum, cum de prodigialibus ſignis loquerer. Subjeci: Nonne calamitoſa ſunt bella Germaniæ, bella Inſubriæ, bella exorta inter Regem Catholicum, & Chriſtianiſſimum? ſubeſt Veſevus imperio Hiſpanico. Nonne ei prodigiale fuit ſignum Veſuvinum incendium, amiſſis tot munitis urbibus, quas inter noviſſima Perpinianum, deficientibus à Rege Gothalanis & Luſitanis.

Stipes eſt, quiſquis talia prorſus contemnit. Anno MDCXVIII. concidit mons, & obruit nobiliſſimum oppidum Plurium. Tunc exortæ ſunt turbæ in Rhætia & Valtellina, quæ turbæ quas non dederunt clades illi provinciæ.

Duobus abhinc annis cum magnus Dux Etruriæ ipſo Paſchatis die auditurus eſſet ſacram concionem poſt prandium in templo primario Liburni, contremuit tota moles, & tantum non concidit. Perculſi aulici gladios eduxerunt pro ſalute ſui Principis pugnaturi. Reſpondi id prodigiale eſſe, & indicare bellum. Non multis abhinc diebus pluit plumbum in mari Tyrrheno, & ejus aliquot libras Liburnum tulerunt nautæ exploratiſſima veritate. Nonne jam omnia ad bellum ſpectant? Nonne quotidie cauſæ diſſidiorum creſcunt, & undique milites convocantur? quibus expoſitis placet memoriæ laudatiſſimi Imperatoris Titi hoc offerre Epigramma:

Cur te Cœlicolæ rapiunt florentibus annis,
O Tite! cur propero mergeris interitu?
Si mira virtute micas, ſi mitis in omnes
Cæde vacas, ſophien ſi colis atque Sophos?
Cur datur imperium Fratri, quo ſævior ullus
Non habuit Romam, Romuleosque viros?
Scilicet haud facile eſt lubitum vulgaſſe Deorum,
Et magni abſtruſum jus penetrare Jovis.

Cap. LXXXI.

De Julio Agricola nimis vehementer in adoleſcentia incumbenti ſtudio philoſophiæ.

JUlio Agricolæ, Taciti Socero, viro fortiſſimo ſeſe fert obviam philoſophia, heroemque ſui ſtudioſum deducit in cœtum eorum, qui amarunt, è genere Romano cum eſſent, philoſophari. Is adoleſcens à matre ad excolendum ſtudiis philoſophicis ingenium Maſſiliam miſſus eſt, locum Græca Comitate, & provinciali parcimonia miſtum & bene compoſitum. Memoria autem tenere ſe refert Tacitus gener Agricolæ, ſolitum ipſum narrare ſe in prima juventa ſtudium philoſophiæ acrius ultra quam conceſſum Rom. ac Senatori hauſiſſe, ni prudentia matris incenſum, ac flagrantem animum coercuiſſet, ſcilicet ſublime, & erectum ingenium pulchritudinem, ac ſpeciem excelſæ magnæque gloriæ vehementius, quam cautè appetebat. Mox mitigavit ratio & ætas, retinuitque, quod eſt difficillimum, ex ſapientia. Modum, de qua ſententia jampridem evulgavi prælectionem publice habitam in Gymnaſio Piſa-

Piſano, cum de vita Julii Agricolæ Tacitum narrantem juventuti ſtudioſæ interpretarer, explanarem. Nil autem vetat prælectionem augere epigrammate de ſtudiis philoſophicis deque virtute bellica ejusdem Agricolæ à me compoſito.

Maſſiliam properat primo ſub flore juventæ
Julius, ut redeat doctior inde domum,
Atque ſagax animum mergat civilibus undis,
Norit & armigeris dicere jura viris.
Quam bene ceſſerunt, quæ fecit vota Minervæ,
Virtutis rectum quam bene carpſit iter.
Vicit enim gelidos dextro Dux Marte Britannos,
Atque auxit ſpoliis aurea templa Jovis.

CAP. LXXXII.

De Domitiano jubente exulare Roma philoſophos.

EXulare juſſit Roma, philoſophos Domitianus, Imperator crudelis. Qua de re Gellius lib. XV. cap. XI. *Philoſophi Domitiano imperante Senatus-Conſultuo ejecti, atque urbe, & Italia interdicti ſunt, qua tempeſtate Epictetus quoque philoſophus propter id Senatus-Conſultum Roma deceſſit.* Unde arripuerit occaſionem talis Senatus-Conſulti condendi, narrat Suetonius in Domitiano cap. X. damnavit *Junium Ruſticum, quod Pæti Thraſeæ & Elvidii Priſci laudes edidiſſet, appellaretque eos ſanctiſſimos viros. Cujus criminis occaſione philoſophos omnes urbe, Italiaque ſubmovit.* Hæc Suetonius. In Tyrannum docta Satyra invecta eſt Sulpitia Romana, cum non

ferre poſſet philoſophos pulſos Roma. Inter alia inquit:

Noſne jubet (Jupiter) *tacitos & jam rationis egenos*
Non aliter primo, quam cum ſurreximus ævo
Glandibus, & puræ rurſus procumbere lymphæ.

Tuetur autem philoſophiam, quia ſapientia pacis, id eſt philoſophia crevit Roma. Diceret qui vellet eſſe moleſtus, ſapientes quidem fuiſſe Romanos antiquos, ſed nequaquam philoſophos, aut edoctos à philoſophis græcis. Certe Ennius philoſophus non videtur fuiſſe, quo tamen ait, ut tueatur philoſophos, profeciſſe Magiſtro Scipionem, ejus verba ſunt:

Scipio, qui Rudio crevit formante Magiſtro.

Potuiſſet quis etiam defendere Senatus-Conſultum exemplo prolato è temporibus Reipublicæ, quando itidem pulſi fuerunt philoſophi, atque etiam Mathematici.

CAP. LXXXIII.

De Deciano, approbante dogmata Stoicorum.

DEcianum apparet æmulatum fuiſſe dogmata Stoicorum, tempore Domitiani Imperatoris ita tamen, ut non voluerit, ambitioſa morte inclareſcere, & prudenter vitaſſe ſævitiam Domitiani, ad eum ſic ſcribit Martialis lib. I. Ep. IX.

Quod Magni Thraſeæ conſummatique Catonis
Dogmata ſic ſequeris ſalvus ut eſſe velis.

Quod

Quod feciſſe velim, te Deciane facis.
Mox ſubjicit:

Nolo virum facili redimit qui ſanguine famam.
Hunc volo laudari qui ſine morte poteſt.

Errant; qui putant Decianum improbaſſe exitum Thraſeæ, & Catonis, etſi laudaret dogmata. Nec enim veriſimile eſt tantos viros, qui tanti fiebant à Deciano vituperatos. Sed ſenſiſſe poſſe aliquem etiam ſub ſævo Principe ſic ſe gerere, ne cogatur arbitrium mortis accipere. In quam rem plane audiendus eſt Tacitus in Agricola: *non contumacia neque inani jactatione libertatis, famam, fatumque provocabat. Sciant quibus moris illicita mirari, poſſe etiam ſub malis principibus magnos viros eſſe.* Quibus verbis Thraſeam nequaquam perſtringit, quem ipſam virtutem appellavit XIV. annal.

Laudat tamen Agricolam, qui cum magnus vir eſſet, potuit ſub Domitiano vivere. Sic fere Decianus Stoicus commendatur à Martiali, quod ſciret tempora,&noſſet obliquare ſinus. Niſi namque cautus fuiſſet, exulaſſet, aut interemptus occubuiſſet, quod contigit tot philoſophis,qui in exilium abivere. Ruſticus autem eſt occiſus, quod laudaſſet Thraſeam.

Ramir. de Prado promit quædam ex ſcriptoribus, ut oſtendat nefas eſſe ſibi violentas inferre manus, cum nihil ejuſmodi dicat Martialis. Tantum probat quod Decianus ſub ſævo Principe ſciat vitare cauſam moriendi.

Interim fatemur ſecundum religionis noſtræ ſanctitatem non licere ulla de cauſa ſævos incurrere in enſes.

CAP.

Cap. LXXXIV.

De Trajani affecta erga philoſophiam, de Dione philoſopho ab eodem valde amato.

GRatiſſima vice, philoſophia, quæ preſſa jacebat ſub Calvi Neronis imperio, ad fulgorem reverſa eſt, priſtinumque recepit decus imperante Trajano, qui publica Senatus Romani voce, optimus appellatus fuit. Licuit ſcilicet exulibus repetere urbem, honeſtiſſimoque ocio frui. Ait ergo Juvenalis ſat. VII.

Et ſpes, & ratio ſtudiorum in Cæſare tantum.

Quamvis enim videatur tantum loqui de ſtudio poëtices, id tamen etiam imo præcipue ad philoſophiam eſt transferendum. Id ſuadent verba Plinii in Paneg. *quam dignitatem ſapientiæ doctoribus habes? ut ſub te ſpiritum & ſanguinem, & patriam receperint ſtudia, quæ priorum temporum immanitas exiliis puniebat, cum ſibi vitiorum omnium conſcius princeps, inimicas vitiis artes non odio magis, quam reverentia relegaret. At tu easdem artes in complexu, oculis, auribus habes.* Unde colligere eſt errare veterem ſcholiaſtem, qui ſatyram VII. putat à Juvenali ad Domitianum exaratam fuiſſe. Comprobatur autem benevolentia Trajani erga Philoſophos, ex iis, quæ profert ipſe apud Julianum Imperatorem in Cæſaribus, ubi alloquens Deos ait: *Reveritus ſum veſtram progeniem philoſophiam.* Adde valde ab ipſo amatum Dionem, de quo hæc Suidas: *Dion Paſicratis filius, Pruſaenſis ſophiſta & philoſophus, quem Chryſoſtomum appellarunt magnificentiam ita affectabat, ut etiam*

etiam leonina pelle indutus prodiret corpore tenui, & maximam ætatis partem exegit apud Trajanum Cæſarem, ut etiam curru Imperatorio veheretur. Quin non deeſt, qui aſſerat etiam Nervæ Coccejo fuiſſe familiariſſimum, & propterea à Plinio lib. X. Ep. Coccejanum fuiſſe appellatum. Nec ſilent alii eum nobiliſſimorum Romanorum amicitias ſtudioſe coluiſſe, præſidibusque atque proconſulibus vehementer fuiſſe acceptum, incidit tamen in odium Domitiani, quod admiratione caret. Vixit igitur exul, quamdiu regnavit Domitianus. Sub Nerva non ſolum rediit in patriam, ſed & Romam ad Nervam ſe contulit, ut pro patria orationem haberet. Sed Nerva mortuo id, quod cupiebat impetravit à Trajano. Prorſus autem digna ſunt lectione, quæ ſummus Vir Syneſius de Dione exaravit.

Trajanus ergo inter principes de philoſophia benemeritos recenſeatur talesque de ipſo promantur verſus:

Ulpius aſpexit ſophien, miſerasque Camenas,
Largitusque tibi eſt aurea dona Dio.
Socratis aſſeruit cœtum, myſtasque Lycei.
Et quos Zenonis porticus usque docet.
Quid mirum tali ſi Principe floruit orbis?
Et viridis cinxit frondis honore comas?

CAP.

CAP. LXXXV.

Tacitum inter Philoſophos poſſe recenſeri, eum tanquam Gentilem diſſeruiſſe, & fuiſſe in communi errore Gentilium. Attingitur cenſura Famiani Stradæ.

AN Tacitum taceam, an Corneli ſcripta ſilendo
Transmittam, & famæ vertice dejiciam,
Dum Sophiæ memoro myſtas, quos priſca tulerunt
Tempora, Romuleis nobilitata focis?
Non ſinat hoc magni cerebro Jovis edita virgo,
Non Genius, libros qui periiſſe vetat,
Teque jubet furuis, Famiane, involvier umbris,
Cum tanti nequeas lumina ferre viri.

Si quis obſtrepat, eatque infitias debere recenſeri Tacitum, de philoſophia apud urbem Romam, quando agitur, quod fuerit orator, caſſasque defenderit in foro, & Galliam Belgicam pro Cæſare rexerit, ſcripſeritque hiſtorias, contendam ego inter philoſophos quoque par eſſe ut Tacito detur locus. Nam de ſedibus Germanorum, deque ſitu Germaniæ tanquam Geographus egit accuratè, philoſophicam autem eſſe materiam Geographiam ſatis ſuperque oſtendit Strabo ſtatim in principio ſui operis. *Qui namque primi Geographiam attingere auſi ſunt, philoſophi ii fuere Homerum dico, Anaximandrum Mileſium, ejusque civem Hecatæum, Democritum, Eudoxum, Dicæarchum, Ephorum, & ætate poſteriores Eratoſthenem, Polybium, Poſidonium.*

In

In VI. Annalium graviter diſputat de hac quæſtione: Caſuine obnoxiæ ſint res hominum, an à fato regantur? in qua oſtendit ſe philoſophiam hauſiſſe.

Hiſtorici qui non rem ſimpliciter, ſed addito ſubinde judicio, aſperſique civilibus præceptis narrant, philoſophorum in cenſu juremerito collocantur. Tacitus autem tantum acumen, tantamque attulit ad ejusmodi tractationem ſolertiam, ut nemini evaſerit ſecundus, certe quando de aulicæ vitæ arcanis cum fructu indagandis agitur, neminem non poſt ſe reliquit.

Facile autem eſt occurrere iis, quæ in adverſam partem proferuntur. Etenim, & Cicero oravit in foro,& tamen tot,de philoſophia compoſuit libros, aliique magni viri non ſolum provincias rexerunt ſed & exercitibus præfuerunt non expertes philoſophiæ, quod verum eſſe hic ipſe liber multis oſtendit in locis. Nam hiſtorias ſcribere, quæ nomen perfectarum mereantur hiſtoriarum, philoſophi profecto eſt, qui ſaltem magnam habeat rerum civilium cognitionem.

Deinceps ſcire cupies, cui ſectæ potiſſimum Tacitus ſuum dederit nomen? & dices, Epicureæ, nam in VI. Annal. probare conatur omnia eſſe obnoxia caſui,& fortuito res humanas evenire. *Multis* ſcilicet *inſitam opinionem, non initia noſtri, non finem, non denique homines diis curæ.* Hæc Democritea, & ex medio Epicuri horto petita quis neget?

In primo hiſtoriarum ait, *ſecuritatem noſtram non eſſe diis curæ.* Hoc itidem impietatem præfert Epicuream.

Puto

Puto tamen Stoicis valde faviſſe Tacitum, quod toties tam honorifice memoret viros Stoicos, & ſummopere commendet Thraſeam Pætum, Helvidium, Senecam, aliosque nec taceat Demetrium Cynicum.

In VI. Annal. tuetur fatum, ita tamen ut non evertat arbitrii humani libertatem, ſubjungitque verba prorſus Stoica de beatitudine: *neque mala vel bona, quæ vulgus putet: multos qui conflictari adverſis videantur, beatos, ac plerosque quamquam magnas per opes miſerrimos.* Quæ merum ſapiunt Stoiciſmum.

In eodem autem libro conatur depellere vanitatem ab Aſtrologia, ſive Chaldæorum diſciplina, ita tamen ut exiſtimet errores Profeſſorum non debere ipſi arti tribui.

In vita Agricolæ præfert Stoicam ſapientiam, dum ait: *ſi ut ſapientibus placet, non cum corpore extinguuntur magnæ animæ.* Particula *ſi* non ambigit, ſed aſſerit, ut apud Virgilium:

Veſtro ſi munere tellus.

Ergo credita eſt immortalitas animorum Tacito, ſed animorum magnorum, non quorumvis prorſus cum Stoicis, ut in opere de animarum transmigratione uberius expoſui.

Quæ autem apud ipſum præferunt Epicureum dogma non ex propria ſententia, ſed objiciendo proferuntur, ut mox refellantur. Nam refert quosdam pro caſu ſic certare, ut dicant, *creberrima & triſtia in bonos, læta apud deteriores eſſe.* Quæ tamen poſtea confutat. Quæ melius confutaſſet, ſi dixiſſet aliquid de vita beata poſt hanc, deque ſuppliciis malorum. Neque enim rectè ſolvitur ejusmodi objectio, niſi

niſi affirmemus animas poſtquam ſolutæ fuerint à corporibus permanere, & plecti propter vitia, præmiis affici propter virtutes. Qua de re graviſſimè, & prorſus ſapienter diſſerit Plutarchus in libro de Serâ Numinis vindicta, ſine quo quidem libro nolim eſſe Proceres & Principes, ut intelligant, cur Deus ſcelera plectat etiam in poſteris, & cur pro patribus ſæpè vapulent filii.

Sed erit qui dicat Tacitum Pyrrhonis in modum dubitaſſe, & ſuſpendiſſe mentem ab aſſenſu, cum in VI. An. ſcribat: *mihi in incerto judicium eſt.* Addita ratione *quippe ſapientiſſimos veterum diverſos reperies.* Quæ abſque dubio petita ſunt ab Arceſila, & Carneade.

Apparet tamen non hæſiſſe Tacitum in ejuſmodi ambiguitate ſed objeciſſe, ut poſtea ſuam exponeret ſententiam. Sic & Claudianus in carmine illo, cujus initium:

Sæpe mihi dubiam traxit ſententia mentem,

ait parum abfuiſſe, quin in barathrum Epicureæ impietatis incideret, ſed viſo ſupplicio Ruffini à ſe deos abſolutos.

Verum enim vero quid dicemus de verbis illis Taciti I. Hiſtor. *non eſſe curæ diis ſecuritatem noſtram?* Reſpondendum eſt non Epicureo more locutum, quandoquidem addit: *eſſe ultionem.* Si diis eſt curæ ultio, certe curam gerunt rerum humanarum. Conqueſtus autem eſt more Gentilium de Dei providentia, & erupit in verba, qualia extant etiam apud Lucanum:

Felix Roma quidem civesque habitura ſuperbos,
Si libertatis ſuperis tam cura placeret,
Quam vindicta placet.

Sic apud Statium Lycurgus Rex & ſacerdos deflens mortem Archemori Jovem appellat *perfidum.* Rurſus Lucanus alicubi ait, nos mentiri, dum dicimus regnare Jovem, & Statius conqueritur de Jove, qui paſſus ſit ſe vinci, cum recitaret in Capitolio Thebaidem. Quid memorem Ovidium, qui ait: *ſollicitor nullos eſſe putare Deos.*

Apud Homerum Achilles invehitur in Martem. Hæc & ſimilia. Si ſuæ juſſiſſet obverſari memoriæ Famianus Strada, non ſumpſiſſet ſibi ſolum conterendum Tacitum, prætermiſſis aliis Gentilibus, prætermiſſo Lucano, qui talem querelam ante Tacitum condiderat adverſus Deos, quin miſeratus fuiſſet Taciti conditionem tanquam hominis Gentilis ipſi communem cum hominibus illius ſeculi. Non vero inde architectatus fuiſſet argumentum, ad detrahendam fidem Annalibus, & hiſtoriis Taciti. Exclamat tamen Famianus: *O perverſam hominis interpretationem: adeo ne impiè quiſquam indoctus ſit, ut cum ſeculum ſuum vitiorum feraciſſimum fateatur indignetur nihilominus, ſi ſuppliciis hoc eſt peccatorum pœnis illud affligi ſentiat.* Non dolet Tacitus, nec queritur quod ſcelera puniantur, ut tu illi imponis per calumniam. Sed dolet non æqua lance à diis diſtribui præmia ac pœnas, quia dixerat *bona exempla prodita* fuiſſe ab illo ſeculo, *comitatas profugos liberos matres,* & quæ alia ibidem ſequuntur. Hinc ratiocinatur Tacitus: ſi ſupplicia inferuntur ſceleribus. Cur deſunt præmia virtu-

virtutibus? Nos Chriſtiani illuſtrati vero lumine religionis admiramur abyſſum judiciorum Dei, & ſcimus ſupereſſe aliam vitam poſt hanc. Non omnia hic ſcelera plecti, & virtutibus ſæpe reſervari præmia in cœlo, quod nos S. Lucas Cap. XVI. exemplo mendici Lazari, & divitis Epulonis docere voluit; Abraham namque ait diviti: *Recepiſti bona in vita tua.* Ejuſmodi lux ſi affulſiſſet Lucano, ſi Tacito, ſi Statio, ſi aliis Gentilibus non erupiſſent in verba impatientiæ, imo impietatis non expertia adverſus Numen. Tu autem Famiane intemperanter te geris adverſus unum Tacitum, & ridiculum in modum conquereris, quod ſcripta Taciti obeſſe queant religioni. At nullus non ſcriptor Gentilis incommodare poteſt inſpice Homerum, Ciceronem, Senecam, Virgilium, Plutarchum, Livium, & quemcunque alium, ipſum Platonem & Ariſtotelem. Certe niſi quis cautè talia opera legat, ſentiet ipſe ſuæ pietati, ſuæ Religioni, quam Chriſtus Servator noſter docuit divinitus, damnum, incommodumque obrepere.

Nec mirabitur Strada hæc à me prolata, ne conteratur Tacitus, cum fateatur ipſe etiam pro Tacito obluctatum familiarem ſuum, quem rerum Civilium non infacetum æſtimatorem appellat.

Adde me non uno loco in hoc opere oſtendiſſe, non minus Epicuream, quam aliam quamcunque ſectam potuiſſe Romæ ſuſcipi, & palam defendi, & porro ad diſcipulos propagari, quod colligi etiam poteſt ex auctione vitarum apud Lucianum, & ex ejuſdem Hermotimo, ſive de ſectis. Epicurea autem ſtultitia tota providentia ſpoliabat deos, omnemque

que Numini auferebat curam rerum humanarum, inque tali opinione absque dubio apud urbem Romam multi verſabantur. Quo more ſi ſe voluiſſet gerere Tacitus, more ſuorum temporum uſus fuiſſet, & tamen tam graviter, tamque ſapienter in VI. Annal. Dei providentiam tuetur tanquam Stoicus adverſus Epicureos, ut magnam illi injuriam faciat, quisquis accuratam diſputationem metitur ex pauculis verbis, & non potius, quæ velut in tranſitu, aut ſaltem non philoſophica diſſertatione dicta exigit ad VI. Annal.

Dum autem aſſerit diis eſſe curæ ultionem, non eſſe ſecuritatem, non eſt totus Epicureus, ſed adverſus Epicurum intentat metum ſceleratis hominibus. Docet namque vindices eſſe Deos & plectere ſceleſtos, ut qui non ducitur virtutis amore, ſaltem formidine pœnæ deterreatur à male agendo. Cujus opinionis exemplum videtur præbuiſſe ille, qui dixit: *primus in orbe deos fecit timor*. Qui profecto non accuſavit *crudelitatis* deos, nam crudelis dicitur, qui præter modum, præterque leges parva delicta graviſſimis pœnis plectit, aut etiam ſuppliciis afficit innocentes, & tamen audet dicere Famianus tribui diis à Tacito *crudelitatem*, cum tantum dixerit, Deos plectere ſcelera.

An crudelis dici debet Magiſtratus, qui ſontes juxta leges jubet luere pœnas? Nequaquam. Id pronunciavit Tacitus de diis, atque adeo ſaltem partem divinæ providentiæ contra Epicuream impietatem defendit, quæ defenſio tantum abeſt, ut obſit religioni, ut magnopere conducat: cum major hominum pars, & præſertim plebs timore ducatur non generoſo amore.

CAP.

Cap. LXXXVI.

Quatenus Tertullianus appellaverit Tacitum, loquaciſſimum mendaciorum? an ut adulator ſit reprehendendus idem Tacitus?

PErſtat in accuſando Tacito Famianus, & ait ipſum *loquaciſſimum mendaciorum* appellatum fuiſſe à Tertulliano. Sequitur veſtigia Famiani Maſcardus, & ut robur addat Tertulliano eum vocat *hominem graviſſimum.*

Dico ego Famianum, & Maſcardum inſigniter abuti verbis Tertulliani ad tollendam auctoritatem Taciti in hiſtoria, quia quod Tertullianus protulit de Tacito propter ea, quæ narrantur ab ipſo de origine Judæorum, hoc perinde accipit Famianus, ac ſi depromptum fuiſſet de omnibus narrationibus Taciti. Quod verba Tertulliani debeant reſtringi ad narrationem de origine Judæorum, quæ continentur in V. hiſtor. in principio, ipſe locus apud Tertullianum in Apologetico inſpectus, indicat. Curtius igitur Pichena, vir graviſſimus in Epiſtola ad Coſmum Etruriæ Magnum Ducem, cum in cæteris mirificè commendet hiſtoriam Taciti, culpat eum quando agit de origine Judæorum. Sic enim ſcribit: *hoc unum in ſummis Taciti laudibus excipiendum fuit.* Ubi etiam fatetur Tacitum communi culpa cum reliquis Gentilibus, Juſtino, Plutarcho, aliisque peccaſſe.

Quod ſi verba Tertulliani univerſim accipienda eſſent, Juſtinus, Plutarchus, aliique hiſtorici *loquaciſſimi mendaciorum* dicendi forent. Hinc Lipſius in notis ad V. hiſtor. *Hoc de capite aſini magno conſenſu omnes veteres tradiderunt, ne tantopere noſter culpetur. Et ſanè Strabo, Plutarchus, Democritus apud Suidam multo majora deliria delitarunt contra gentem, & libros ſacros.*

Quod ſi loquaciſſimus mendaciorum dicendus eſt Tacitus, te quidem ſic accipiente verba Tertulliani, cur cum hactenus tot viri egregii ſudare juſſerint ſuam diligentiam in illuſtrando Tacito, non indicarunt cumulum mendaciorum, ut ſtudioſa juventus ab iis poſſet abſtinere? Cur tu tali non es functus opera? cur narrationes ejus non contuliſti cum Suetonio, aliiſque & ſignificaſti, quibus in rebus ipſe mentitus tam frequenter ſcilicet fuerit? Ego quidem, ut verum fatear, cum publicè in ſcholis utrumque Tacitum nempe & Suetonium expoſuerim, & ſimilia loca undique conquiſiverim ex aliis ſcriptoribus, non potui deprehendere ingentem illum acervum mendaciorum, quem tu in tanto hiſtorico reperiri adoleſcentibus vis perſuadere.

Sed urget Tacitum Maſcardus, dum vocat Tertullianum *graviſſimum hominem.* Nos non renuimus habere fidem Tertulliano reprehendenti Tacitum in narratione de origine Judæorum. Sed id negamus debere transferri ad univerſæ hiſtoriæ corpus.

Quod vero Tertullianus graviſſimus vocatur, id neſcio, quam graviter proferatur. Nam transfuga diſceſſit ab Eccleſia Catholica ad furorem Montani,

&

& Priſcillæ, quo quid levius fieri poteſt? recenſetur ipſe inter Sectarios. Non ergo graviſſimus. S. Hieronymus renuit ipſum hominem Eccleſiæ appellare. Extant duo libri, quibus Catholicos Tertullianus tota contentione oppugnat, ubi etiam gloriatur ſe diſceſſiſſe à Catholicis, quos contumelioſo nomine *Pſychicos* nuncupat. Hocne eſt *graviſſimi hominis* munere fungi? adde pleroſque libros, quos hodie legimus aut ſcriptos, aut ſaltem ab ipſo recenſitos poſtquam deſeruit Catholicos, hoc colligo ex eo, quia in pleriſque jactat, & commendat ſuum Paracletum. Neque enim Catholicus confugiſſet ad enthuſiaſmos Montani, quos laudavit paſſim ſub nomine Paracleti.

Addiderim Tertullianum minus honorificè locutum videri de Tacito, quia Gentiles abutebantur ejus teſtimonio ad oppugnandam veritatem Chriſtianam. Sic multi S. Patres invecti ſunt in Platonem, in Ariſtotelem, in Socratem alioſque ipſe etiam Tertullianus exploſit philoſophos tanquam hæreticorum Patriarchas, quia tunc vigebat error Gentilium. Poſtquam autem evanuit vetus ſuperſtitio Nationum, longe aliter etiam Chriſtiani ſe cœperunt gerere circa philoſophiam, & philoſophos, ob utilitatem, quæ poteſt hauriri ex ejuſmodi operibus, omiſſis tamen erroribus, quibus fuerunt obnoxii philoſophi tanquam Gentiles. Vide quam honorificè de Socrate, Platone, Anaxagora, Canio, Seneca, Sorano deque tota philoſophia loquatur Boetius, heros Chriſtianus, omnique exceptione major, quando librum compoſuit de conſolatione philoſophiæ.

Argutatur etiam Famianus Tacitum adulatum fuiſſe Imperatoribus, à quibus beneficiis fuerat affectus. Hoc ſi verum eſt, non ergo adulatus eſt Galbæ, Othoni, Vitellio, quos non cognovit *nec beneficio, nec injuria*.

Nec ſequitur aliquem hiſtoricum eſſe adulatorem, quia ſcribit de Principe, à quo beneficiis affectus eſt; oporteret cæteroqui etiam Famianum adulatum fuiſſe Farneſianæ domui, quia Societas Jeſu, cujus membrum eſt Famianus, ingentibus eſt cumulata beneficiis à Farneſiana beneficentia. Nec credendum foret Polybio narranti res geſtas Scipionis Africani, quia comes erat tanti Ducis, eique cariſſimus. Tolleretur fides T. Livii, quia narrat res geſtas populi Romani, cui ipſe abſque dubio plurimum debebat. Mendax eſſet dicendus Catherinus Davila, dum bella civilia Gallorum refert; nam valde fuit obſtrictus Reginæ Catherinæ, & Henrico III. Quid referam Pompejum Juſtinianum, Bernardinum, Mendozam, Cominæum, Bembum, Guicciardinum, Ammiratum, Polydorum Vergilium, Bonfinium aliosque?

Quod autem beneficiis non ſe paſſus fuerit transverſum agi Tacitus ex eo quoque diſcere eſt, quia in primo hiſtor. ait: ſuam dignitatem *à Domitiano longius provectam*. Et tamen in eum ut ſubdolum, crudelem malumque Principem jure merito invehitur ſub finem Julii Agricolæ. Non igitur veriſimile eſt quod voluerit adulari Veſpaſiano, & Tito. Nam quis infitias eat egregios Principes fuiſſe Veſpaſianum & Titum? legatur ſaltem Suetonius.

Dicet

Dicet Famianus adulatum Tacitum Veſpaſiano, quando narravit factum de claudo, & cœco accedentibus Alexandriæ ad Imperatorem.

Sed cum narrationem texeret Tacitus jam mortuus erat Veſpaſianus, ut colligere eſt ex I. hiſtor. nam inquit: *quod ſi vita ſuppeditet principatum divi Nervæ, & imperium Trajani ſenectuti ſepoſui.* Ergo de Veſpaſiano ſcripſit ſub Trajano. An Famiane quiſquam adulatur mortuis?

Ad factum claudi, & cœci quod attinet idem refertur à Suetonio, qui prorſus non cognovit Veſpaſianum, quandoquidem floruit ſub Hadriano. Veridicum autem eſſe Suetonium ipſe fateris.

Dices: An igitur habes fidem Tacito? dicam ego viciſſim: an fidem habes Suetonio? idem nodus, qui mihi ſolvendus proponitur, tibi eſt expediendus.

Malus enimvero Dæmon illudebat cæcis mortalibus illa tempeſtate. Hinc decepti ſuperſtitione non minus Suetonius, quam Tacitus, miraculum auſi ſunt tribuere Veſpaſiano, cum eſſet impoſtura mali Genii, qua de re videre potes doctiſſimos Theologos, atque inprimis Cardinalem Bellarminum in libro de Notis Eccleſiæ capite de miraculis.

Cap. LXXXVII.

De Philoſophica ſententiarum gravitate, quæ reperitur apud Tacitum, qui lectorem impellit ad generoſam virtutem, & avertit à vitiis.

AUlam quisquis ingreditur, muniat animum philoſophica ſententiarum gravitate, quæ reperitur apud Tacitum. Sic ipſe non difficulter deprehendet callidiſſimorum hominum fraudes, ab iisque ſibi cavebit, ipſe interim candidus ſcelerum oſor, probitate robuſta ſuccinctus veram, & non ſimulatam ſectabitur virtutem, Principi non adulabitur, non faciet candida de nigris, non venalem habebit operam, non blanditiis, non laudatiunculis obrepere conabitur alienæ benevolentiæ, ſed generoſus, & magnanimus ſcelera clare deteſtabitur, ſapientum amicitiam ſectabitur, à vafris autem homuncionibus, qui ſpecie ſapientiæ potentiam exercent, ſic abhorrebit animo, ut interim cautus eorum apertum odium vitet, atque declinet.

Inveniri autem in Tacito philoſophicam ſententiarum gravitatem etſi per ſe notum ſit, tamen quia infelix noſtrorum temporum conditio fert, ut pauci ſe exerceant in legendo tanto ſcriptore, lubet quasdam hic recenſere, quærereque ex patre Famiano: An talia dicta ſapiant adulatoriam mollitiem, an præferant Epicuream impietatem? imo fatebitur quisque ipſa quovis Socrate, quovis Platone, quovis Seneca eſſe dignisſima, hominesque à ſceleribus valde deterrere, & Dei providentiam egregie adſtruere, minimeque palpum Regibus obtrudere.

XIV. Annal. à Nerone *perfecto demum ſcelere* (in occidenda matre) *magnitudo ejus intellecta eſt*. Cur ita? quia mens ſibi male conſcia ſtatim velut occultus tortor incipit ſceleſtum hominem vexare, laniare, ut

ut vultur ille Titium, cujus jecur intimum à roſtro avidæ avis pererratur. Accedunt furiæ, quæ cogunt reum patrati criminis inſomnes ducere noctes. Sunt furiæ mali Dæmones, quibus Deus impios mortales tradit vexandos. Sic de Nerone loquitur Tacitus ibidem: *reliquo noctis, modo per ſilentium defixus, ſæpius pavore exurgens, & mentis inops lucem opperiebatur, tanquam exitium allaturam.* Ne Chriſtianus quidem ſcriptor potuiſſet melius deſcribere ſtatum Neronis dantis pœnas ob occiſam Matrem, & ſentientis ſe perire antequam periret.

VI. Annal. poſtquam recitavit initium literarum Tiberii ad Senatum, quibus teſtabatur ſe quotidie perire, ſeque neſcire quid ſcriberet, addit: *Adeo facinora atque flagitia ſua ipſi quoque in ſupplicium verterant.* Non tacet ex ſententia philoſophi præſtantiſſimi: *ſi recludantur tyrannorum mentes poſſe aſpici laniatus & ictus.* Non omnia tranſcribo. Quæ profecto Stoicorum robur, Stoicam claritatem adverſus malos Principes, perditiſſimoſque Proceres præferunt, ut propterea Jovem rogaverit Perſius, ne alia ratione puniat Tyrannos, quam efficiendo, ut

Virtutem videant, intabeſcantque relicta.

Idem Tacitus ſtatim in principio ejuſdem VI. Ann. narrat, cur Saxa & ſolitudinem maris repeteret Tiberius *pudore ſcelerum, & libidinum.* Quam bene Servator noſter: *qui male agit, odit lucem, ne detegantur opera ejus.*

In primo hiſtoriar. Galba ait Piſonem imperaturum hominibus, *qui nec totam ſervitutem, nec totam liber-*

libertatem pati poſſunt. Quibus verbis, & damnat abſolutam in Principe poteſtatem, nec approbat effrænem plebis & populi licentiam. Oſtendit optimum Reipublicæ genus eſſe id, quod miſcetur ex Monarchia, Ariſtocratia, & Democratia. Quam mixturam alibi quoque Tacitus non obſcure cuivis regimini præfert, ſecutus graviſſimum ſcriptorem Polybium. At noſtra tempeſtate ſcriptores ut adulentur Regibus abſolutam potentiam evehunt, commendant. Quod tamen nec regibus ipſis, nec ſubjectis populis conducibile eſſe res ipſa ſemper clamavit. Nonne qui male imperarunt apud Romanos, abſolutam poteſtatem conculcatis legibus arripuerunt, ut pro lubitu juberent, quod viſum fuiſſet? lege vitam Tiberii, Caji Caligulæ, Neronis, & perpende quem etiam finem ſortiti fuerint, ſaltem Caligula, & Nero. Boni autem Principes non indigent abſoluta poteſtate, nam legum obſervantiſſimi nullos experiuntur ſibi repugnantes, cum imperent animis amati, non terribiles. Vide qualis fuerit Titus, qualis Nerva, Trajanus, Antoninus Pius, Marchus philoſophus, quam familiariter ſe geſſerint erga alios, nec tamen contempti ſunt. Nonne Trajanus cum traderet gladium præfecto Prætorio dixit: utere pro me ſi meruero, aut etiam contra me, ſi itidem meruero. Norat optimus Princeps ſe non receſſurum à tramite Romani moris.

Sub finem vitæ Julii Argicolæ ſic loquitur hiſtoricus: *Si quis piorum manibus locus placidè quieſcas, noſque domum tuam ad contemplationem virtutum tuarum voces.* Particula *ſi* non videtur ambigere, ſed affir-

affirmare. Putavit igitur Tacitus ſupereſſe animas poſtquam ſolutæ fuerint à corporibus. Putavit par eſſe, ut contemplemur virtutes eorum, qui cum viverent præclarè ſe geſſerunt.

XI. Annal. Lepida ſuadebat filiæ Meſſalinæ, ne opperiretur interfectorem, turpe namque tunc cenſebatur opperiri eum, à quo quis juſſu Principis occideretur, ſuadebat quandoquidem vita tranſiſſet, *morti decus quærere*, ſed fruſtra fuere verba, *quia animo per libidines corrupto nihil honeſtum inerat.* Excluditur omne decus, omnis honeſtas à pectore ejus, qui ſe fœdis obnoxium reddidit libidinibus. Ipſæ enim ſic emolliunt, ſic devinciunt animum, ut avelli non poſſit à corpore, ne voluptate deſinat frui, ſed qui duram, generoſamque ſectantur virtutem, ipſi etiam poſſunt diſcedere à vita non abſque decore, quod videre eſt in ſanctiſſimis noſtris Martyribus.

Erigit ingenia excelſa, & liberalia Tacitus ad colendum bonum principem, non contumaciam inſtillat animis, non odium principatus, quod facit etiam Lucanus, quem fruſtra aliqui ut contumacem, & refractarium accuſant. Deteſtabatur ipſe ſcelera Neronis, & miſerabatur ſtatum gementium civium ſub crudeli Tyranno, dolebat amiſſam libertatem, nec tamen Principatum abſolute damnabat. Quod dicendum quoque de Tacito, qui fatetur poſſe egregios viros etiam ſub malis Principibus eſſe ſalvos, ſi adſit modeſtia. En tibi verba ejus in vita Jul. Agricol. *Sciant quibus moris illicita mirari, poſſe etiam ſub malis Principibus magnos viros eſſe.*

Quod

Quod non diſplicuerit Principatus Tacito diſcere eſt ex laudibus, quibus cumulat Trajanum I. hiſt. ſic loquitur, poſtquam locutus eſt de imperio Divi Trajani: *rara temporum felicitate, ubi ſentire quæ velis, & quæ ſentias dicere licet.* Concinit in vita Jul. Agric. *durare in hac beatiſſimi ſeculi luce, & Principem Trajanum videre.*

Debere Principem cuncta ad famam dirigere, & proſperam ſui quærere memoriam inſatiabiliter monet idem generoſus hiſtoricus, polliceturque fore, ut unicuique ſuum decus poſteritas rependat. Nonne hoc eſt Principes, Reges, Rerumpublicarum moderatores potenter inflammare ad colendam virtutem, ad regendum populos ſecundum leges, ad conciliandam ſibi eorum, quibus imperant benevolentiam & amorem? quod ſi fiat, nonne erunt boni Principes, qui morigeros ſe præbebunt ſententiis Taciti? cavebunt profecto ſibi diligenter ab iis, quæ ſecum adferunt dedecus & ignominiam, nec putabunt poſſe extingui potentia memoriam temporum, quæ ſupereſſe ſolet in hiſtoriis. Audiamus Tacitum IV. Ann. poſtquam narravit libros Cremutii Cordi ſummi viri exuſtos, quidem palam per ædiles, manſiſſe tamen occultatos: *Quo magis ſocordiam eorum, irridere libet, qui præſenti potentia credunt extingui poſſe etiam ſequentis ævi memoriam.* Nonne hodie qualis fuerit Carolus Burgundiæ Dux, etſi tunc potentiſſimus eſſet, multosque haberet adulatores, pernotum eſt ex Cominæo? Nonne ſcimus quam ſceleſtus, praveque vafer fuerit Ludovicus Dux Mediolanenſis, licet hiſtoricum conduxiſſet, qui ſibi falſas obtruderet laudes?

des? nihil ſanè egregium ab eo Principe proficiſci poteſt, qui ſollicitus non eſt de poſteritatis judicio, publicæque famæ longe lateque perquam celeriter vagantis voces ſpernit.

Parvi animi eſt valde anxium eſſe de proroganda vita, felicitatisque apicem in eo ponere, ut ad decrepitam pertingas ſenectutem. Rebus præclarè geſtis conſtat vitæ diuturnitas, non multorum annorum numero. Nam multi ad extremam vixere ætatem, qui cum nihil laude dignum præſtiterint, prorſus ignorantur, & viciſſimi aliqui glorioſi ſunt hodie, viventque in memoria temporum, etſi non conſenuerint, ſed florenti occubuerint ætate. Quid quod aliqui poſt decus paratum reſervati ſunt ignominiæ, aut calamitati graviſſimæ temporum ſunt involuti, quos ſatius fuiſſet mori, antequam talia viderent. Ita Tacitus gratulatur Socero, quod ereptus ex hac vita non interfuerit crudelibus factis Domitiani Imperatoris, dum inquit: *feſtinatæ mortis grande tulit ſolatium, evaſiſſe poſtremum illud tempus, quo Domitianus continuo, & velut uno ictu Rempublicam exhauſit.* Nonne feliciter obiit Servius Sulpitius ſummus Juris-Conſultus, quod evaſerit Triumviralem proſcriptionem, quæ neci quoque dedit eloquentiſſimum, patriæque libertatis amantiſſimum Ciceronem?

Librum ſcriberem, ſi expendere luberet totam latitudinem philoſophicæ gravitatis, qua Tacitus fulget.

CAP.

Cap. LXXXVIII.

Recenſentur & explanantur quædam dicta Taciti ad intimam rerum civilium cognitionem facientia.

INtima rerum civilium cognitio, quam Politicen appellamus, à philoſopho expectanda eſt. Nam fruſtra plebeji aulici putant ſufficere experientiam. Tacitus autem liberali prorſus manu nos inſtruit tanquam ſummus politicus. Ne ergo patiamur ipſum per ſummam injuriam excludi ex philoſophorum cœtu.

Civilis in IV. hiſt. poſtquam adverſus Romanos Montano memoravit ingratam militiam, immortalia tributa, virgas, ſecures, ut eum impellat ad res novas, ait: *Auſos aut libertas ſequetur, aut victi iidem erimus.* Qui duro premuntur imperio eos decet, ut viros fortes, aliquid moliri & tentare, ut jugum excutiatur, nam etſi voto non fuerint potiti, deteriori tamen non utentur conditione, nec enim magis poterunt premi in poſterum, quam hactenus preſſi fuerint. Ejusmodi tamen verba cautè ſunt accipienda, ut prorſus omnia, quæ à ſeditioſis, aut ſaltem rerum novarum cupidis depromuntur, apud hiſtoricos. Nec enim hiſtoricus agens perſonam talium hominum ex ſua ſententia abſolute loqui cenſendus eſt. Certe tolerabilem ſubjectionem ſatius ferre eſt, quam affectando libertatem, mortem, incendia, direptiones, & alia quæ comitari ſolent bellum, quod geritur in perduelles, ſibi attrahere. Quod ſi qui populi into-

intolerabilem ſerviant ſervitutem, illis forte recte dixeris: *auſos aut libertas ſequetur, aut victi iidem erunt.* E numero tamen eorum, qui victi fuerint præcipui ſuppliciis, exilio plectentur. Quam vero male cenſet nonnemo inter politicos, optandum Principi, ut conſpirationes fiant, ex quibus ipſe ſuum fiſcum ditare poſſit. O tartaream ſententiam. Bonus profecto Princeps non gaudet ſuppliciis, imo ſi quando aliquis plectendus eſt, dolet ſibi talem offerri occaſionem.

I. Hiſtor. ſic loquitur Galba: *utiliſſimus ac breviſſimus bonarum malarumque rerum delectus, cogitare, quid aut nolueris ſub alio Principe, aut volueris.* Quæ verba videntur referenda ad Principatum, qui electione defertur, cum Galba adoptaret Piſonem. Nam ubi Reges tradunt, velut hæreditatem regnum vix id dici poteſt, cum ſæpe ſuccedant filii adhuc juvenes, qui nequaquam adhuc judicium facere potuerunt de iis, quæ quis in Principe aut nolit, aut velit. Quid quod Filii Regum vix dicuntur parere, nam coluntur paſſim ac ſi ipſi etiam cum patribus imperarent. Qui ſubfuit, & obedivit ille verè poteſt dicere, quid vellet in imperante. Hinc fit, ut vix quiſquam magnis muneribus recte fungatur, niſi per inferiorum honorum gradus ad faſtigium pertigerit. Quod cum perpenderet Ariſtoteles in politicis vix voluit admittere, ut filius ſuccedat patri in regno. Loquitur de patre, qui fuerit dignus regno. Nam rara avis eſt filius, qui nondum perfectum uſum rerum adeptus ſuccedens tamen patri, qui bene imperavit, & ipſe bene imperet, ut pater. Cur ita? quia neſcit

quid vellet aut nollet in imperante. Juvenilis quoque ætas levi negotio præceps datur in vitia ab adulatoribus. Ita legimus valde ſollicitum fuiſſe Marcum Imperatorem de Commodo filio. Nec Hadrianus voluit ſibi Marcum adhuc juvenem ſuccedere, ſed adoptavit patrem Marci Antonium Pium, qui jam habebat magnum rerum civilium uſum. Optandum ſaltem in hæreditariis regnis, ut Pater diu vivat, ne filio adoleſcenti, & imperito artium quibus regnatur relinquat ſceptrum. Apud aliquas nationes receptum ſcimus, ut nec hæreditariam ſucceſſionem reſpuant, nec tamen careant electione. Mixtura quadam regnum temperant. Nec enim bene diſſerit, qui vocat hæreditarium regnum, in quo pater tradidit regnum Filio, & hic viciſſim itidem Filio, annuentibus ordinibus regni, imo Filium eligentibus. Ubicunque namque electio locum habet, non intelligitur ibi eſſe hæreditaria ſucceſſio proprie & abſolute ſic dicta. Qui enim eligit, fruſtra eligit, ſi non poſſit etiam rejicere, aut ante electionem eligendo aliqua pacta aliquaſque leges præſcribere. Quæ omnia, ſi bene diſſeris, nituntur verbis Taciti, quibus teſtatur eum poſſe deligere, qui ſcit judicare de imperante.

In libello de Moribus Germanorum ſic ſcribit, quando agit de ſeveritate Germanorum maritorum in puniendis uxoribus adulteris: *Nec corrumpere, & corrumpi ſeculum vocatur.* Notat eos, qui excuſant vitia, quæ tranſiverunt in frequentem conſuetudinem alicujus nationis. Nec enim conſuetudo poteſt efficere, ut quod rectæ rationi repugnat, vitium

non

non ſit. Ratio enim natura hominis eſt, non opinio falſa, non malus mos. Perſtringit Tacitus Romanos ſuos, apud quos tunc frequentiſſima erant divortia. Mariti leviſſimis de cauſis ejiciebant uxores, quæ tamen mox alios viros inveniebant. Imo ipſæ mulieres diſcedebant à viris, & aliis nubebant. Qua de re tam multa Martialis, Juvenalis, & alii. At priusquam libertas Romana opprimeretur, vix erat audire ullum divortium, cum primum divortium inciderit in annum Ioxx. ab VC. Tempore autem Taciti frequentiam adulteriorum, multitudinem divortiorum non deerant, qui excuſarent, vocando ſeculum, hoc eſt ſeculi morem, quod tamen ipſe ut verus philoſophus rejicit, cupitque vigere veterum Romanorum leges, quæ adulteria, quæ divortia excludebant. Mirum autem non debet videri factam tantam immutationem ea in re. apud Romanos, quia Cæſar, & Auguſtus mulierum conſuetudine valde delectati ſunt: quorum exemplo potentiores Aulici, & proceres ipſis cari, Tribunique militum, aliique Principatui velificantes aliorum uxores potuerunt impunè ſectari, & impudicas tueri adverſus ipſos maritos. Hinc prava conſuetudo, quæ ſemper viguit deinceps ſub Imperatoribus. Unde intelligimus leges longe accuratius ſolere obſervari ſub Rebuspublicis, quam Principatibus.

Otho apud Tacitum II. hiſtor. Germanos appellat *genus militum apud hoſtes atrociſſimum.* Cur atrociſſimus exercitus ex militibus Germanis? aſſueti ipſi frigori, nivibus, venationi, duro victui, ſoliti laudem quærere ex morte hoſtium à teneris unguiculis.

Aſperati regione, & cœlo non tanti faciunt vitam, quanti qui aëris blandam temperiem, terram fertilem & ſponte, aut levi labore plurima producentem, qualis præſertim Aſiatica, ſic tenent, ut non lubenter eam relinquant. Certe qui aſperiorem incolunt regionem eo fere meliores milites, cum militia laborioſiſſima ſit vita. Nec quibus provincia ubertate rerum felix curant mutare cœlum, incolasque deteriorum terrarum invadere. Sic Germani ferè tranſiverunt Rhenum, vexaruntque Galliarum melius ſolum. Non ita Galli tentarunt Germanos. Hodie quoque atrociſſimos milites dixeris Germanos. Id nos docent tot pugnæ aperto in campo ambiguo Marte, in noctem usque & quidem ſæpe in nuperis bellis pugnatæ, quales vix alibi reperire eſt in hiſtoriis. Nec reformidarunt hyberna frigora, quo minus expeditiones urgerent, non intermitterent munitiſſimarum arcium obſidiones. Quæ omnia ſi eleganti ſtilo monumentis literarum traderentur, mirarentur poſteri talia bella noſtris temporibus geſta fuiſſe.

II. Hiſtor. appellat Otho *Italiam, & caput rerum urbem ſenatumque & populum nunquam obſcura nomina, etſi aliquando obumbrentur*. Id nos docet hiſtoria rerum, quæ ſub imperatoribus contigerunt. Interfecto Cæſare, à quo nomen Senatus obumbratum fuerat, eluxit auctoritas. Senatus, qui acta Cæſaris approbavit, & ipſum divinis affecit honoribus. Nonne hoc fuit eſſe clarum nomen? occiſo Domitiano milites dolentes interfectum Imperatorem, eum dicere Divum conati. Sed Senatus ſævi Tyranni damnavit memoriam, ut eſt apud Suetonium cap. XXIII.

XXIII. Nonne idem Senatus hoſtem Reipublicæ dixit Neronem, apud eundem Suetonium cap. XLIX. longum foret ſingula memorare. Sed quid tandem tam illuſtria nomina tenebris involvit? Conſtantinus ſtravit viam huic rei, quando migravit Byzantium, novumque Senatum inſtituit. Deinceps ad tuendum imperium conducti Gothi; qui infidi rem Romanam peſſum dederunt. Lege quæ graviſſimus vir Syneſius oravit apud Arcadium de regno. Dolebat ſcilicet prudentiſſimus homo militares dignitates ab exteris barbariſque occupatas.

Niſi mihi redeundum foret ad argumentum hiſtoricum de Initio & progreſſu Philoſophiæ apud Romanos, nondum te lector ab exacta rerum civilium cognitione, quam pleno fonte propinat Tacitus, te dimitterem.

Cap. LXXXIX.

De Plutarcho, qui floruit ſub Trajano. Obiter, an Mundus ſecundum Platonem ab æterno fuerit factus, & an deceat philoſophum ad Rempublicam accedere?

De Plutarcho hæc habentur apud Suidam: *Plutarchus Chæronenſis Bœotius, fuit Trajani Imperatoris temporibus, & ante. Trajanus autem dignitate conſulari eum ornavit: edixitque ne quiſquam Illyriæ Magiſtratuum, quicquam abſque conſenſu ejus ageret.* Certe ad philoſophiæ ſtatum apud Romanos referri Plutarchum nemo mirabitur qui

cogitet, quantum philoſophiæ nobis in ſuis opuſculis propinaverit. Proſtant enim ejus libri de placitis philoſophorum, de procreatione animæ ſecundum Platonem, ex quo libello non poſſum non hic pauca adſcribere, cum abhorreant à reliquorum Platonicorum ſententia, nam negant mundum quatenus ornatus eſt eſſe æternum. Sic ergo Plutarchus: *præſtat ſententiam Platonis ſequi & dicere, mundum à Deo eſſe factum. Subſtantiam autem & materiam, ex qua factus eſt, mundus, non natam, ſed ſemper ſubjectam opifici diſponendam ſe, & ornandam, àdque ipſius ſimilitudinem, quantum ejus fieri poteſt, ſe ordinandam præbuiſſe. Non enim ex eo quod nihil eſſet extitit mundus, ſed ex eo, quod non pulchrè, non rectè, aut perfectè eſſet. Fuit nimirum antequam mundus naſceretur materies, non corporis eo, non motus, non animæ expers, ſed corpore informi atque incompoſito. Omnium capax illa materies magnitudinem, intervallum, ſpatiumque habebat: pulchritudine, ſpecie, formarumque mediocritate indigebat.* Hæc volui proferre, quia magno conſenſu Platonici dicunt mundum eſſe factum ab æterno, neque exiſtimant fuiſſe tempus, quando mundus non eſſet, eſſet autem materies ex qua factus eſt mundus. Nos autem Moſaicæ hiſtoriæ divino lumine illuſtrati accipimus à Plutarcho mundum non eſſe factum ab æterno, ſed ei repugnamus, quando materiam ſemper fuiſſe aſſerit. Nam ſecundum materiam à Deo ex nihilo factus eſt in tempore. Nunc ad rem noſtram revertamur.

Quam philoſophica ſunt illa, quæ tradit Plutarchus non uno opere contra Stoicos, quorum ſcholæ videtur

tur infenſiſſimus fuiſſe. Addenda quæ ſcribit de facie in orbe Lunæ, de oraculorum defectu, de quæſtionibus Convivalibus, Naturalibus aliisque.

Affirmant aliqui præceptorem Trajani fuiſſe Plutarchum, quod neſcio an exploratum ſit. Trajanus certe non fuit eruditus, licet eruditis faveret. Crinitus profert Epiſtolam ex Autore de inſtitutione Imperatoria, quam dicitur Plutarchus exaraſſe ad Trajanum, cum factus fuiſſet Imperator. Sed qui legit ejusmodi Epiſtolam forte ſupicabitur, veriſimile non eſſe Plutarchum, voluiſſe ſic ſcribere ad Trajanum jam Virum, qui tot egregiis factis probaverat omnibus ſuam virtutem.

Quicquid hac de re ſit non repugnatPlutarchum fuiſſe præceptorem Trajani, quandoquidem ipſoSenior fuit, ut colligitur ex Suida, ex quo etiam diſcimus quanti merito fecerit tantum virum, quem Conſulari poteſtate ornatum ſummo cum Imperio præfecit Illyrico. In eum ſic luſi extemporali conatu:

Aurea Plutarchi facundia, ſic Trajanum
Detinet, ut nulli gratior eſſe queat.
Hinc regit Illyricam tanto pro Cæſare gentem,
Juſſaque mellifluis temperat usque modis.

Cum autem Illyrici præfecturam à Plutarcho philoſopho ſuſceptam diximus, quærere par eſt, an philoſophum deceat ad Rempublicam accedere? de qua quæſtione in utramque partem multa poſſe proferri quis neſcit? Brutus, Caſſius, Cicero, Lucullus, Catones, totque alii Reipublicæ navaverunt operam, ut de Solone, de Zaleuco, de Pythagoræis ſileam præſto ſunt Imperatores Hadrianus, Antoninus Pius,

Marcus. Nec prætereundus Julianus, ad quem ea de cauſa dedit Epiſtolam Themiſtius, ut ipſum impelleret magis ac magis ad habenas regni capeſſendas. Accedit exemplum Plutarchi viri adeo ſapientis, ne quicquam de Thraſea Pæto; de Helvidio, deque Seneca depromam. Adducitur etiam à Themiſtio auctoritas Ariſtotelis, qui videtur vitam actuoſam, quæ tot hominibus prodeſt, contemplatrici prætuliſſe. Politica profecto ſi quis inſpiciat, forte ibit in ſententiam Themiſtii in exponendo Ariſtotele.

In adverſam partem ſeſe offerunt exempla Arii, Thraſylli, Nicolai, & Muſonii. De Ario teſtatur Julianus in eadem Epiſtola ad Themiſtium, quod præfecturam Ægypti ſibi oblatam recuſarit, idque bis narrat.

Thraſyllo civilium rerum tractatio nihil utilitatis attulit. Cur ergo philoſophus accedat ad Rempublicam? Coactus quidem eſt verſari in aula cum Tiberio, qui ipſum magnifaciebat. At abhorrebat animus excelſus à familiaritate crudelis, & immitis Tyranni. Quod magis intelligeremus, ſi quæ edidit extarent ſcripta, quibus etiam famam ſuam purgavit, quod diſcere eſt ex eodem Juliano.

Nicolaum apparet aliqua adminiſtratione rerum floruiſſe, quam tamen, ut nihili contempſit, ratus ſe ex libris, quos ſcripſit majorem ſplendorem poſſe conſequi.

Muſonius forti animo tulit tyrannicam immanitatem, longeque illuſtrius nomen patientia philoſophica eſt adeptus, quam ſi magnum geſſiſſet imperium. Nunc

Nunc ſentiat, quisque ut vult. Ego profecto ideo lubenter quæſtionem propoſui, ut ſimul nonnulla de eximiis philoſophis, qui Romæ floruerunt, & de quibus in hoc libro ſuo loco egimus, depromerem ex Epiſtola Juliani, quæ non ita nota eſt, quamque ſi cum ederem libellum de Juliani philoſophia habuiſſem, indicaſſem Themiſtium Imperatori Juliano fuiſſe notum.

CAP. CX.

Plutarchum magni fieri debere etiam in philoſophia Naturali, ſed ſecundum Platonem. Quædam ſigillatim ex eo depromuntur & expenduntur.

VUlgus Plutarchum magnifacit de philoſophia Morali, quando inſtituitur ſermo: in contemplatione autem naturali nullam ejus dignatur facere mentionem. Cur ita? quia ſolum novit Ariſtotelem, de Platone Platonicisque non eſt ſollicitum. Platonicæ autem philoſophiæ ſi quis ſit deditus magnum fructum, magnamque voluptatem ex multis opuſculis percipiet.

Sed vulgares homines duo reſpondent: Plutarchum fuiſſe gentilem, & multos errores Gentilium in ejusmodi operibus propinare. Addunt longe majoris eſſe faciendum Ariſtotelem Platone, cum hodie ex ſcholis exulet Plato.

Gemina objectio nullo labore difflatur. Nam ſi ſpernendus eſt Plutarchus, & nihili faciendus in philo-

loſophia Naturali, quia gentilis fuit, itidem explodendus erit Ariſtoteles, rejiciendus Alexander, contemnendus Themiſtius. Nos tales ſcriptores æſtimamus usque ad aras, hoc eſt, usque ad Religionem. Nam ſanctitas Catholicæ religionis ſcit uti talibus libris, & cavere ſibi ab erroribus Gentilium. Altera objectio ſic rejicitur. Non propterea minoris eſt faciendus Plato Ariſtotele, quia hoc tempore non explicatur in ſcholis, omnia ſunt obnoxia viciſſitudini, etiam philoſophia. Olim Plato à magnis viris præferebatur Ariſtoteli. Malo autem hac in re ſentire cum veteribus, quam cum noſtratibus hominibus. Nonne cum ageremus de Panætio, audivimus eum præ omnibus ſuſpexiſſe Platonem? Ciceronem etiam ſcimus prætuliſſe Platonem Ariſtoteli. Julianus Imperator, magnus quoque philoſophus ſic ſcribit: *Univerſe Ariſtotelica decreta non omni ex parte abſoluta eſſe judico, niſi cum Platonicis illa jungantur*. De Iſidoro magno itidem philoſopho hæc habet Damaſcius apud ingentem Photium: *de Ariſtotelis philoſophia parum ſollicitus fuit: ubi autem Platonis ſententias guſtavit, non jam aſpicere dignatus eſt ulterius. Sed finem conſecuturum ſperavit, ſi in Platonis ſententiarum adyta penetrare potuiſſet, & eo omne ſuum ſtudium impetumque convertit.* Beſſario vir ſine controverſia doctiſſimus, & quidem Cardinalis pulcherrimum opus pro dignitate Platonis nobis reliquit, in quo videre quisque poteſt, quam procul abeſſe putet Ariſtotelem à ſublimi ſapientia Platonis. Eousque autem progreditur Beſſario, ut non ambigat dicere à divino Areopagita S. Pauli Apoſtoli, diſci-

pulo

pulo quædam mutuo ſumpta, & in ſua opera tranſlata. Sed venio ad Plutarchi quasdam ſententias in philoſophia Naturali.

In opuſculo de Procreatione animæ ſatagit liberare à quadam repugnantia Platonem, quem quidam ajebant nunc dixiſſe naturam natam, & non natam. Illud protuliſſe in Timæo, hoc in Phædro. In Phædro vulgatiſſimum reperiri dictum, quod anima non ſit genita, quia ſeipſam movet: *& quod non ſit interitura ex eo, quia non ſit genita.* In Timæo autem diſertè videtur dicere: Deum eſſe rerum ſempiternarum præſtantiſſimum, animam vero factarum optimam.

Nonne hic nodus eſt, quem difficile eſt ſolvere? Plutarchus ſic putat ſe disjicere difficultatem. Ortus expertem ait eſſe eam animam Plato, quæ ante mundi ortum omnia vitioſe & confuſe movit. Rurſum ortam, & natam eam, quam Deus ex hac & ſtabili optimaque illa natura prudentem, ordinatamque confecit. Repetit Platonem ab eo longe abeſſe, ut ſecum ipſe palam diſſentiat, de rebus maximis. Fatetur autem Plutarchus Platonem jam dixiſſe animam eſſe genitam, jam negaſſe, at ſemper docuiſſe ortum, & natum mundum, nunquam autem non natum, nunquam ſempiternum pronunciaſſe.

Qua tamen in re non concinunt multi Platonici Plutarcho. Proclus profecto octodecim argumentis conatus eſt ſecundum Platonem oſtendere mundum, & genitum eſſe, & eſſe ſempiternum.

Ariſtoteles quoque ſic videtur intellexiſſe Platonem, nam in libris de Cœlo argumentatur adverſus Plato-

Platonem, & ait: eum qui dicit mundum eſſe genitum, & eſſe ſempiternum impoſſibilia dicere.

Quæ argumentatio conſentanea eſt expoſitioni Plutarchi, qui dicit ſecundum Platonem, ſi mundus ſit genitus non eſſe ſempiternum, propterea repugnat pleriſque omnibus Platonicis aſſerentibus ſecundum Platonem debere dici ab æterno mundum eſſe factum. En verba Plutarchi: *communiter hi & plerique Platonis ſectatorum timentes, atque ægrè ferentes omnia moliuntur, vique pervertunt, putantque tanquam flagitioſam, & infandam ſententiam debere occultari & negari, quæ mundum, ejuſque animam non ex ſempiternis conſtituit principiis, neque infinito tempore talem fuiſſe affirmat.*

In eodem libello refert Heraclitum dixiſſe mundum hunc neque à Deorum quoque neque homine ullo factum. Opifici renuit tribuere mundum Heraclitus. Ergo negat habuiſſe initium? Reſpondendum eſt, putaſſe Heraclitum materiam mundi, ignem, ſemper fuiſſe, & nunquam factam. Ejuſmodi autem ignem ſeipſum promoviſſe adornatum, & ita extitiſſe mundum. Sic ipſe videtur putaſſe mundum fortuito extitiſſe, abſurda autem eſt ſententia, quæ abſque opifice & cauſa effectrice exiſtimat mundum extitiſſe, qua de re videndus Plutarchus, in principio de placitis philoſophorum.

In libello de Fato oppugnat infinitum hoc pronunciato: *Neque lex, neque oratio, neque divinum quicquam infinitum eſſe poteſt.* Ariſtoteles ſumit hoc in phyſicis: Naturalia eſſe infinita non poſſe. Cui

Cui ſane effato repugnant, quæ tradiderunt antiquiores philoſophi.

Aliquatenus tamen eſſe infinitum fatum aſſerit ibidem Plutarchus his verbis: *Manifeſtum eſt Fatum eſſe quodammodo infinitum, non eſſe tamen infinitum, ſed circulum.* Nullus circulus eſt abſolute infinitus. Fatum eſt circulus. Non igitur eſt infinitum factum. Aliquatenus tamen eſt infinitum, quia infinities redibit idem ordo, & fient rerum converſiones infinitæ, ita ut abſoluta una converſione, res redeant ad initium converſionis. Unde Plutarchus: *Cum eadem redibit cauſa, ii ipſi nos eadem iſta, eodemque modo agemus idemque de omnibus hominibus, & omnibus aliis rebus accipe, omnia ut ſunt unica univerſi converſione in eundem ſtatum reſtitutum iri.* Hæc & plura ibidem. Ex hac ſententia, quam putat eſſe Platonis aliqui interpretati ſunt, quod dixit Horatius ante bellum Trojanum fuiſſe fœminam belli deterrimam cauſam: & quod eſt apud Virgilium, quod ſint futura altera bella, quod Tiphis diriget Argonautas, & magnus Achilles ad Trojam rurſus mittetur. Illud quoque:

Jam redit & virgo, redeunt Saturnia regna.

Origenes immerſus ſtudiis Platonicis videtur impegiſſe ad hunc ſcopulum, quod ego expoſui in opuſculo de Comparatione dogmatum Origenis cum philoſophia Platonica. Nam talis reditus ad primum ſtatum, quem adſtruit Plutarchus ex Platone prorſus debet explodi ex ſcholis Chriſtianorum, cum præſertim ſciamus in Concilio ſexto Generali dictum eſſe, Anathema Origeni, ejuſque dogmatibus.

In

In eodem libro Plutarchus ſatagit fatum conciliare cum libertate humani arbitrii. *Fatum*, inquit, *omnia continet, neque propterea neceſſariò omnia evenient, ſed unum quodque pro naturæ ſuæ modo.* Deinceps valdè accuratè explicat poſſibilia, neceſſaria, contingentia. Poſſibilium quædam nunquam poſſunt prohiberi, ut ortus, occaſusque cœleſtium corporum. Quædam poſſunt prohiberi, ut pleraque humana. Sed longum foret omnia expendere, quæ traduntur de fato, cujus intricatiſſima ratio, & veteres ſapientes, & recentes valde exercuit. Legendus eſt Alexand. Aphrodiſienſis, quamvis Ariſtotelei valde pauca, & prope nulla de fato tradant. Inter recentiores legendus I. Lipſius in libello de Conſtantia. Theologi doctiſſ. noſtro tempore poſt ſanctiſſimum doctiſſimumque virum S. Auguſtinum, multa tradiderunt de ratione conciliandi Dei providentiam, Deique gratiam efficacem cum libertate humani arbitrii, quos inter è Dominicanis magnifit Aluarez, quem ego multis abhinc annis novi Romæ.

Sed jam tempus eſt à Plutarcho diſcedere, ne nimis multa, & cum tædio lectoris ex ejus operibus videamur velle congerere.

Cap. XCI.

De Chryſippei nominis celebritate ſub Trajano, & deinceps.

Magna fuit Chryſippei nominis claritas Romæ per ſucceſſionem temporum diuturnam. Cur ita? quia ipſe inprimis Stoicam ſectam ſuis ſcriptis prope innumeris munivit. Hinc

Hinc Perſius cum vellet in urbe nominare inſignem aliquem philoſophum, Chryſippum nominavit, ejusque Soritem commendavit.

Inventus Chryſippe tui finitor acervi.

Et par erat in aciem educi Stoicum à Stoico. Sub Trajano porro Plutarchus duobus in opuſculis quam acriter eſt invectus in Stoicos, atque Chryſippum præcipue conterere ſategit. Multa namque totidem verbis depromit ex ejus ſcriptis, ut oſtendat Chryſippeas ſententias non cohærere. Quid referam Galenum, qui floruit ſub Antonino? hominem ſurſum deorſum verſat in doctiſſimo opere de Platonis, & Hippocratis decretis, citatque non pauca ex ejus operibus. Hinc, ſi Deus benigne annuerit, aliquando de Chryſippeis ſententiis librum edam, in quo ſimul oſtendam potuiſſe à Juſto Lipſio multo plura de Stoica philoſophia enarrari, addo & debuiſſe. Nam multa præterit, quæ ſumere poterat à Plutarcho, à Galeno, aliiſque majoremque Stoæ lucem fœnerari.

CAP. CXII.

De ſummo ſciendi deſiderio, quo flagravit Hadrianus. Laudatur celſiſſimus Princeps Cardinalis de RICHELEU.

DE ſummo deſiderio ſciendi, deque apice philoſophico, omnigenaque rerum cognitione, quando agitur omnes procul dubio deceſſores ſuos viſus ſuperare Hadrianus Cæſar. De quo enim legimus ſimilia iis, quæ de ipſo prodita fuerunt à Dione, atque inprimis Spartiano? incrementum

mentum igitur magnum accepit philoſophia, omniſque diſciplina Romæ, & in orbe Romano, quando Hadrianus ad apicem Cæſareæ dignitatis pervenit.

Sed erit, qui ipſum Cenſoria excipiat virgula, quandoquidem Principem, quem ſcimus ſuſtinere graviſſima negotia, par non eſt aſſidue verſari in libris, & cum philoſophis colloqui. Diſplicuiſſe paſſim eo nomine Hadrianum conſtat, quandoquidem Græculus meruit appellari.

Defenſio adeſt, de induſtria Imperatoris in excolendo ingenio, quando agitur. Incredibili enim fuit promptitudine, vigoreque tam corporis, quam animi, ut ſufficeret bello, paci, juridicendo, philoſophiæ, venationi, peregrinationi per orbem, aliiſque qua de re dubitare non poſſumus, dum ejus legimus vitam traditam ab hiſtoricis. Venandi fuit cupidiſſimus, & tamen teſte Dione, nunquam venationis cauſa ea, quæ ad principatum faciunt, & ſpectant omiſit. Datum quidem fuit ei vitio, quod magnum ſtudium in inveſtigatione rerum poneret, ſed quid non reprehendere parata eſt hominum malignitas acuta? Deploranda autem eſt eorum Principum & procerum infelicitas, qui cum nullam operam impendant diſciplinis, & earum prorſus ſint expertes, excuſant ſeſe multitudine negotiorum. Ponant ſibi ob oculos Hadrianum, quem tamen patior ab ipſis non exprimi totum, ſed aliqua ſaltem parte. Sed vetuſtas tales homines non movet. Intueantur igitur decus admirandum noſtri ſeculi Celſiſſimum Principem Cardinalem de RICHELEV. Quantus enim eſt in ſcientiis & doctrinis, quantus in negotiis ampliſſimi

Regni,

Regni, in bellicis curis, quibus tamen omnibus ſufficit, ut nullo clariori exemplo damnetur inſcitia, & ignavia eorum qui ignari, & à doctrina remotiſſimi objiciunt molem negotiorum. At ipſis miſſis factis, veneremur epigrammate Heroem, quo ſalvo ſalva quoque ſunt doctrinarum ſtudia.

Salve Heros RICHELEV, ſalve celſiſſime Princeps,
O noſtræ ætatis nobile prodigium.
Salve doctrina illuſtris, ſophiaque verende,
Eloquio Neſtor, conſiliisque Cato.
Salve alacer belli præſes, tutelaque juſti
Imperii, ſalve Scipio militia,
Et licet immenſo ſplendeſcas lumine honoris,
Hos bonus, atque bilaris ſuſcipe verſiculos.

CAP. XCIII.

Apud Hadrianum præ omnibus eminuiſſe Favorinum philoſophum.

DE Phavorino loquitur Philoſtratus, Gellius, Dio, Spartianus in Hadriano. Ubi natus? in Gallia Arelate. *Gallum* appellat Dio. Apud Philoſtratum ipſe id profitetur, dum ait ſe *Gallum græciſſare.* Quem habuit præceptorem? Dionem. Fuit Eunuchus, unde ipſe dicebat, ſe Eunuchum putari mœchum Sophiſtam appellat Dio. Nam Criticus erat, & judicare poterat de orationibus, hinc ejus ſententiam de Platonis, & Lyſiæ orationibus refert Gellius lib. 2. cap. V. ſcripſiſſe quædam græce tradit idem Gellius, cum nonnulla inde depromat de Socratis patientia & tolerantia.

Innotuit Hadriano magnique factus, eousque progreſſa opinione Imperatoris, ut eum propter præſtantiam tanquam æmulum haberet odio. Hinc ſolebat dicere ſe mirari, quod viveret, cum eſſet Imperatoris inimicus. Statua profecto ejus Athenis disjecta eſt. Dio narrat, cum Imperator omnes vellet ſuperare, conatum tollere Phavorinum, & ſectatores ejus perdere. Illud eſt recitandum, quod eſt apud Spartianum: *Favorinus, quidem cum verbum ejus quoddam reprehenſum fuiſſet, arguentibus amicis, quod male cederet Adriano, de verbo quod idonei auctores uſurpaſſent riſum jucundiſſimum movit. Ait enim non recte ſuadetis familiares, qui non patimini me illum doctiorem omnibus credere, qui habet triginta legiones.* Argutè ſanè. Principatum porro inter omnes, qui philoſophiæ cauſa familiares erant imperatori tribuit Favorino idem Spartianus, dum ait: *præ cæteris ut multi aſſerunt eminente Favorino*, quem Herodes Atticus patrem appellare ſolebat.

CAP. XCIV.

Non conſuluiſſe ſuæ dignitati Hadrianum, dum voluit videri ſuperare philoſophos.

ID nequaquam in Principe Hadriano laudaveris, quod volebat videri privatos homines ac inprimis philoſophos ſuperare. Dio: *multos propterea, quod in aliqua arte, aut facultate excellerent, ſuſtulit cupiens ſcilicet in omnibus ipſe omnibus excellere.* Spartianus autem hæc habet: *in omnibus artibus peritiſſimus, tamen profeſſores omnium artium*

ſemper

ſemper ut doctior riſit, contempſit, obtrivit, cum ipſis profeſſoribus, & philoſophis libris, vel carminibus ſæpe certavit. Hoc vero eſt de faſtigio deſcendere, quando princeps certat cum privatis, pares enim illos facit ſibi. Nec gloriam reportat. Cum ſatis conſtet homines non auſuros dicere Principem eſſe victum. Nero deſcendens in certamen cum Citharœdis, cum aurigis & ſimilibus expectabat ſollicitus, ut ſecundum ſe pronunciaretur. Ob gloriam quoque carminum odit Lucanum, quo oſtendebat ſe vinci in ſcribendis verſibus. Noſtra ætate libros de Religione in lucem emittere voluit Jacobus Magnæ Britanniæ Rex, quo conſilio valde ſuo offecit fulgori. Sed in Hadrianum ego hos verſus ſcripſi:

Hadrianus Imperator
Diſputando vim ſophorum
Usque pungit, usque vexat,
Usque ceu ſophiſta torquet,
Nec ſilere ſcit, priusquam
Dando dextram ſe fatentur
Eſſe fuſos, eſſe victos.
Adriane rector orbis
Tune ducis ſic triumphum?
Sicne gaudes laureatus
Victor à ſophis abire?
Quis precor, tibi reſiſtat,
Quis tibi obſtrepat loquendo
Ex ſcholaſtica caterva
Si tibi parent cohortes,
Mille turmæ, tot phalanges,
Milites in bella prompti?

CAP. XCV.

De Philoſophis, qui alebantur Alexandriæ, quibus favebat Hadrianus.

AFfectum Hadriani erga philoſophiam metire ex eo, quia impenſe favebat iis, qui alebantur in Muſæo Alexandriæ. Erant ipſi philoſophi jam viri, non juvenes, quibus præerat Sacerdos à Cæſare electus. Hinc Philoſtratus in Dionyſio Sophiſta: *Hadrianus Imperator Satrapam ſive præfectum eum conſtituit, & adſcripſit inter eos, qui in Muſæo alerentur.* Iterum de Polemone: *Hadrianus eum allegit Muſæi conventui ad Ægyptiam menſam.* Spartianus quoque de Muſæo Alexandrino non ſilet, dum ait: *Hadrianus Alexandriæ in Muſæo multas quæſtiones profeſſoribus propoſuit, aut propoſitas diſſolvit.* Itane apex Cæſareus non dubitat tanquam doctor umbraticus inter profeſſores ſedere, & profeſſorio fungi munere? hodie etiam ipſi Proceres longe infra Principes poſiti putarent aliquid ſuæ detrahi dignitati, ſi ingrederentur Gymnaſium, audirentque profeſſorem. Quod tamen ſupercilium ab aliis contemnitur. Nuper profecto Alexander Victorius Senator Florentinus, Magnique Ducis Conſiliarius, præſtantiſſimus Juris-Conſultus non dubitavit ſua præſentia meam cohoneſtare prælectionem. Nempe quo quis doctior eſt, & ſapientior, eo humaniori ſe gerit ratione. Ignariſſimus quisque inter Proceres, ſuperbiſſimus eſt.

CAP.

Cap. XCVI.

Quam Comem, & aſſiduum in jure dicendo efficeret philoſophia Hadrianum.

ASſiduitatem in jure dicendo, & peritiam legum imputes in Hadriano philoſophiæ. Hæc enim lumine tali perfundit mentem, ut facili negotio quævis, quæ faciunt ad vitam civilem, aſſequatur. Peritiam Juris, & aſſiduitatem in eodem dicendo comitabatur mira comitas & civilitas. Nec enim ſinit ſuperbos eſſe Principes philoſophia, ſed reddit aditu, & alloquio faciles, benignitate, imo popularitate exornat. Novit nempe ſapientia pulcherrimum eſſe imperandi genus, ſi quis virtute præditus imperet animis volentibus, lubentibus, trahi ſe patientibus à miti ratione, ſed audiamus jam Dionem: *quum ei forte mulier occurriſſet in via ab eoque ut ſe audiret contenderet: quamquam primo ſibi eſſe otium negavit, tamen ubi mulier exclamare cœpit ita: Noli igitur regnare, converſus eam audivit. Res vero maximas, & valde neceſſarias non gerebat, niſi interpoſita Senatus auctoritate dicebatque jus una cum primis* (civitatis)*in palatio foro, & pantheo, ſæpe etiam aliis in locis pro tribunali.* Vide quæ plura ſequuntur. Hodie autem quidam nebulones perſuadent Principibus non eſſe ex ipſorum dignitate jus dicere, & è tribunali litibus imponere finem, talia debere peragi à judicibus. O peſtilentem adulationem, quæ maximum affert ſubjectis populis detrimentum. Atqui Cæſares omnes, qui egregii fuerunt, (fuerunt autem multi) hunc ſervaverunt morem, ut dicerent populis

jus, & audirent diſceptantes, qua de re ſuo tempore librum in publicam emittam lucem.

CAP. XCVII.

De Adriano cupiente perſuadere animam Antinoi abiiſſe in ſidus.

MAtheſeos, & rei ſideralis oppido cum eſſet peritus Hadrianus conabatur perſuadere ſua philoſophica auctoritate animam Antinoi mortui in Cœlo receptam abiiſſe in ſidus, ſidusque volebat credi novum apparere. Audiamus Dionem: *ſidus etiam Antinoi ipſe ſe videre dicebat libenterque auſcultabat eos, qui dicerent vere ex Antinoi anima ſtellam, quæ tum primum apparuiſſet extitiſſet.* Quid vero ſentiebant, qui Hadrianum audiebant talia proferentem? tacite irridebant. Dices: an ergo nunquam nova ſidera extiterunt? nova aliquando deprehenſa ſunt, quæ antea non fuerant obſervata, ut à Canone Berenices coma, noſtra tempeſtate Mediceæ ſtellæ in orbe Jovis à Galilæo. Exiſtunt etiam temporaria ſidera, quæ intra tempus aliquod evaneſcunt Seneca profecto in Cœlo cometas collocat, eoſque quandoque durare ait usque ad ſextum menſem. Conſentiunt ſcriptores effulſiſſe ſidus crinitum poſt mortem Cæſaris, quod tamen ad ſe denotandum trahebat Auguſtus. Anno M DLXXII. nova ſtella in Aſtro Caſſiopeæ apparuit, quæ integrum annum perduravit, tandemque paulatim evanuit, & extincta eſt. Fuiſſe in ætherea regione conſenſerunt clariſſimi, qui tunc florebant Aſtronomi, moti ex paralaxi,

quæ

quæ ſolet deprehendere ſigna aërea in regione, & non ita celſa collocata ſubſecutis annis alia quoque obſervata ſunt in æthere, quod nulla eſſet varietas aſpectus, etſi in diverſis viderentur regionibus. Jam igitur vix eſt, qui dubitet talia poſſe exoriri,& exorta eſſe in ætherea regione, ut mirari liceat virum ceteroqui doctiſſimum viginti fere annorum ſpatio hoc agere, ut ſuadeat Stellas ejusmodi, aut ſidera crinita fuiſſe in aëre,non in æthere. Sed vix quemquam in ſuam potuit trahere ſententiam. Adrianus autem merito irridebatur,quia nullum ſidus cum appareret, cupiebat tamen mortales ſuos decipere ſenſus. Niſi dicas quibusdam Stellis prope Delphinum, quæ carebant nomine, Antinoi nomen tunc primum impoſitum. Ego in fletum Imperatoris ob extinctum juvenem mœrentis ludendo, & jocando exaravi hoc epigramma:

Sive animam Antinous Pharia exhalavit in unda,
Sive nigræ cecidit victima cæſa deæ
Extinctam pueri defles Adriane juventam,
Ut mulier, dulci quæ viduata viro eſt.
O labem, o lacrymas haud tanto Principe dignas,
Quæ latio impingunt dedecus Imperio.
Quin animum revoca à cura,quin collige mentem,
Atque hilaris nubem disjice triſtitiæ;
Nam puer haud periit,ſtygium nec audivit Avernum,
Sed micat ex alto lucida ſtella polo.

CAP. XCVIII.

Hadrianum de ſua vita ſcripſiſſe libros. Agitur de Phlegonte liberto.

PErennitatis, ut fere magni Principes, percupidum fuiſſe Hadrianum, ex eo cur non pronunciemus, quod libros de ſua ſcripſerit vita, qui quidem evulgati ſunt? nam Dio in Hadriano ait; *ut Hadrianus ſcribit*, quando de Antinoi agitur morte, Noluit tamen, quæ de ſe ſcripſerat ſub ſuo lucem aſpicere nomine. Audiamus Spartianum: *Famæ celebris Adrianus tam cupidus fuit, ut libros vitæ ſuæ à ſe ſcriptos libertis ſuis litteratis dederit, jubens ut eos ſuis nominibus publicarent*. Hæc Ælius Spartianus. Sub cujus igitur prodiere nomine? Phlegontis prætulere nomen, ut idem tradit. Fuit autem Phlegon Trallianus Hadriani libertus. Nam non vixiſſe ſub Auguſto quis ignorare poteſt, modo inſpexerit Spartianum, qui ait vitam Hadriani ſub ejus prodiiſſe nomine? Quæres, cur Hadrianus æternitatis adeo avidus noluerit chartas à ſe auctore denominare? in promptu reſponſum eſt, ut majorem invenirent fidem, nec elevaretur teſtimonium de ſeipſo prolatum. Nec enim defuerunt, qui aſſererent fas non eſſe de ſuis rebus quicquam conſcribere: quod tamen refellitur innumeris prope exemplis. Verba certe Taciti clariſſima proſtant in vita Jul. Agricolæ: *plerique ſuam ipſi vitam narrare fiduciam potius morum, quam arrogantiam arbitrati ſunt. Nec id Rutilio & Scauro citra fidem, aut obtrectationi fuit. Adeo virtutes iisdem temporibus optime æſtimantur, quibus facillime gignuntur*. Cur non potuerit fidem invenire Adrianus, quem hiſtorici evehunt magnæ virtutis cauſa? Noſtra tempeſtate vir illuſtris Jac. Aug. Thua-

Thuanus de ſua vita libros edidit ſex. Lipſius autem ad auditores direxit Epiſtolam, qua breviter vitam, librosque à ſe compoſitos complectitur. Quæ à me prolata non video, cur ad philoſophiam nequeant referri Hadrianicam.

CAP. XCIX.

Adrianum peccaſſe addendo Philoſophiæ Magiam.

QUod quandoque imo plerumque apud veteres male vulgo audirent philoſophi Magiæ nomine, id effecit, quod viderent à philoſophis quibusdam adhibitas artes magicas ad cognoſcenda futura, aut quod mira effecerint, quæ non niſi effici poſſe viderentur à Dæmonibus. Videnda eſt vita Plotini, cognoſcenda quæ S. Patres de Juliano monumentis literarum tradiderunt, repetenda valde multa ex Philoſtrato, dum Apollonii iter deſcribit. Nos interim, quandoquidem de Adriano agimus, cui magicas artes diſerte tribuit Dio lib. LXIX. referemus videri magiæ cauſa ab ipſo immolatum Antinoum, quem tamen in delitiis habebat, quemque mortuum flebiliter deſideravit non diſſimulat quidem Dio non defuiſſe, qui dicerent in Nilo ſubmerſum Antinoum. Sed ipſe eam amplectitur ſententiam ut aſſerat mactatum. Sic enim loquitur: *Sive quod immolatus fuerit, id quod verum eſt.* At Ælius: *Antinoum ſuum dum per Nilum navigat, perdidit, de quo fama varia eſt aliis eum devotum pro Hadriano aſſerentibus.* Dio ſuam opinionem ſic tuetur: *Quum*

Hadrianus maxime curioſus eſſet, tum vero divinati nibus utebatur, & magicis artibus cujusvis generi. Sed cur immolandus erat artium magicarum cauſa quia voluntaria anima opus erat. Nam invitus quis occiſus fuiſſet, non obtinuiſſet, quod cupiebat Quibus narratis utraque narratio de Antinoi morte apud Hiſtoricos ſuſtinetur. Nam ſi dicas veriſimile non eſſe immolatum fuiſſe ab Hadriano adoleſcentem, quem in delitiis habebat, atque adeo verum eſſe periiſſe in Nilo, reſpondere licebit indiguiſſe Adrianum anima voluntaria, volens autem Antinous ſe pro Hadriano addixit morti. Quali vero impoſtura fallebat olim mortales Dæmon, ut ſe occiderent, aut occidi paterentur, tantum ut futura noſſent quæ omnia diſſipata ſunt à fulgore Evangelico.

CAP. C.

De Euphrade philoſopho, qui impetravit ab Imperatore, uti ſibi fas foret bibere cicutam.

AD Adriani tempora imo philoſophiam refer Euphradem philoſophum, qui dicitur mortem obiiſſe voluntariam, cum ei Hadrianus propter ſenectutem, & morbum cicutam bibere conceſſiſſet, quod relatum ſcimus à Dione lib. LXIX. Mirum vero eſt opus fuiſſe ab Imperatore impetrare, ut liceret filũ vitæ abrumpere. Scimus ſupplicio capitali affici ſolitos milites, qui ſe conati fuiſſent interficere, cum jam adſcripti militiæ non forent ſui arbitrii, ſed deberent permanere ſub ſignis usque ad completum militiæ tempus à legibus præſcriptũ; cum etiam con-

ſtet

ſtet quoſdam ne cogerentur militare, & in numeros referri ſibi pollices abſcidiſſe, dictos propterea pollice truncos, unde aliqui putant extitiſſe nomen poltrone. quod apud Italos ſignificat hominem ignavum. Quis autem audivit non licuiſſe apud Romanos pagano, non militi obtædium vitæ, ob morbum, à quo quis convaleſcere non ſperaret abrumpere vitam vel veneno, vel inedia, aut alia ratione? bona profecto ejuſmodi hominum, qui ſe ſubtrahebant vitæ non abibant in fiſcum, quod ſciunt Jurisconſulti, nec eorum memoria damnabatur. Is tamen qui conſcientia ſceleris ſe occidiſſet, ne ſcilicet peragеretur reus, & damnaretur à Magiſtratu, habebatur pro confeſſo, nec bona ejus ad hæredes tranſibant. Cur ergo Dio dicit obtinuiſſe Euphradem ab Hadriano, ut ſibi fas foret cicutam bibere? ejuſmodi impetratio, ſi mores ejus ſeculi reſpicias, non videtur fuiſſe neceſſaria, philoſophus tamen id impetrare voluit, forte quod adſcriptus eſſet familiaribus Imperatoris, & Hadrianus valde ejus ſermonibus delectaretur. Ergo ſibi faciendum putavit, ut quaſi miles obtineret miſſionem, ne iratus Imperator, quod ſe inſcio, atque adeo invito hauſiſſet venenatam potionem, corpus vetaret ſepeliri, & bona in fiſcum ire juberet. Sic quidem puto Dionis explanandam narrationem.

CAP. CI.

De Herode Attico viro conſulari, quem audivit Athenis Gellius.

PHiloſophia Romana Herodem Atticum ſibi vindicat, licet enim Romanus non fuerit ſed Athenienſis, bene tamen de Romanis philoſophiæ

phiæ cauſa Athenis degentibus eſt meritus. Na
Gellius eum audivit,& his verbis laudavit: *in orati
ne græca fere omnes memoriæ noſtræ univerſos grav
tate atque copia, & elegantia vocum longe præſtiti*
Gellianam narrationem eſſe veram dices, ſi leger
quoque Philoſtratum ſcribentem vitas Sophiſtarun
Narrat autem Gellius, quam docte idem Herode
Stoicos confutaverit, qui non patiuntur nos aut gau
dere, aut triſtari. Experimur profecto ingruent
calamitate naturam percelli, etſi nos maxime repu
gnemus. Idem dicere eſt de hilaritatis argumento
Cenſebat igitur Atticus moderandos eſſe,& ſcite conſiderateque purgandos affectus: ut ea tantum, quæ aliena ſunt, contraque naturam videntur,& cum pernicie agnata ſunt,detrahantur. Si enim omnis omnino imperitius convellamus, periculum eſt, ne eis adhærentes, bonas quoque & utiles animi indoles amittamus. Vide plura apud eundem Gellium ad confutandos Stoicos facientia,

CAP. CII,

De Gellio, qui Roma profectus eſt Athenas ad philoſophos, quorum etiam dicta nominatim recenſunt in noctibus Atticis.

STatus philoſophiæ apud Athenienſes facit ad philoſophiam Romanam,& fecit præcipue cum imperaret Adrianus, ſub quo floruit Gellius, non expers philoſophiæ, quod ejus ſcripta teſtantur. Sic autem loquitur lib. I. Cap. II. *accerſebat ſæpe nos Herodes Atticus, cum apud Magiſtros Athenis eſſemus,* com-

compluresque alios noſtrates, qui Roma in Græciam ad capiendum ingenii cultum conceſſerant.

Ita intelligimus Noctes Atticas, quas ſtudiis navans operam Athenis Gellius eſt molitus, facere ad progreſſum philoſophicum apud Romanos, diſcimusque ad rem noſtram pertinere philoſophos, quos idem memorat, quia docebant ſtudioſos adoleſcentes Romæ natos.

Ergo operæ pretium eſt memoriam colere Tauri, Phavorini & aliorum. lib. I. Cap. IX. ex Tauri ſermonibus profert querelam adverſus novitios philoſophorum ſectatores, qui illotis pedibus in ſacra ſapientiæ irruunt. Proximo capite narrat, qua ratione Phavorinus compellaverit adoleſcentem vetuſte nimis & priſce loquentem. Rurſus lib. I. cap. XXVI. refert, quid idem Taurus reſponderit in diatriba quærenti: *An ſapiens iraſceretur*? lib. II. Cap. I. recenſet veniſſe præſidem Cretæ Athenas viſendi, cognoſcendique Tauri gratia. Viciſſim Cap. V. non reticet, quam lepide deſignateque dixerit Phavorinus, quid interſit inter Platonis & Lyſiæ orationem, quod in hoc ipſo libro jam notavimus. Talia in opere noctium Atticarum depromuntur, quæ nos accepta ferimus Gellio, qui ſapientiæ comparandæ cauſa Roma ſe contulit Athenas, & magnam partem eorum, quæ didicit poſtea Romæ literis mandavit.

CAP. CIII.

De progreſſu philoſophiæ ſub Antonino Pio. Laudantur ejus mores.

De

DE philoſophia Antonini Pii etſi pauca diſerte ſcripta ſint, philoſophicam tamen laudem tanto Imperatori tribuendam multa ſunt quæ clamant, ſuis namque moribus ad finem usque vitæ abſolutum expreſſit philoſophum. Initium certe principatus, illuſtre reddidit venia, quam dedit quibusdam qui puniendi cæteroqui fuiſſent, ut refert Xiphilinus. Hinc Pius appellatus eſt. Addit idem ſcriptor inter omnes conſtare Antonium virum probum & bonum fuiſſe. Sed quæ propius ad philoſophicum apicem accedunt, refert Julius Capitolinus Antoninum Chalcide Apollonium evocaſſe, eique Marcum erudiendum tradidiſſe. Cum autem juſſus fuiſſet idem Apollonius ad Tiberinam domum venire,ut doceret, dixiſſetque philoſophus: *non Magiſter ad diſcipulum debet venire, ſed diſcipulus ad Magiſtrum*, riſit primo Imperator, ſed deinceps voluit Marcum itare ad Apollonium. Quod docet nos ejusdem Marci vita. Ergo videre eſt quousque progreſſa fuerit Romæ philoſophia, ut Imperator juſſerit filium ad domum præceptoris itare, quodque fas fuerit philoſopho tam magnifice de ſua profeſſione loqui, nolleque ad filium Imperatoris docendum ſua domo prodire, cum cæteroqui ſciamus fuiſſe moris, ut proceres, & Principes in ædibus ſuis alerent Magiſtros atque Philoſophos. Legimus tamen philoſophum, quem ad ſe traxit Cato Uticenſis, obſenium noluiſſe amplius Reges convenire, apudque ipſos diſſerere. Diximus etiam cum ageremus de Pompejo, eum inviſiſſe Poſſidonium decumbentem in lecto. JulianusImperator obviam prodivit

divit Maximo, adque Jamblichum dedit litteras, ac ſi hominem ſe majorem alloqueretur. Narrat quoque Gellius, ad philoſophum Taurum Athenas viſendi, cognoſcendique ejus gratia veniſſe clariſſimum Præſidem provinciæ Cretæ, introiſſeque ædes, quas incolebat Taurus.

Sed ad philoſophiam Antonini revertor. Verba ſunt Julii Capitolini: *philoſophis per omnes provincias honores & ſalaria detulit.* An Magiſtratibus eos decoravit? an immunitates tribuit? honoraria conſtituit? contulit, ut puto ſacerdotia, quæ conveniebant philoſophis, ut eſt videre apud Eunapium, quando de ſocio Maximi agitur. Inter Senatores recenſuit, juſſitque eminere in patria, quod collatum ab aliis Imperatoribus Dioni. Quantum autem oportuit eſſe numerum philoſophorum, ſi per omnes provincias ſalaria eis conſtituit. Id tamen potius ad provincias Aſiæ & Græciam, quam Hiſpaniam, Galliam, aliasque aut Africam referendum: ſemper enim Syria, Ægyptus, Græcia ejusmodi hominibus magis abundavit.

Quod ſi vita Antonini diligentius perſcripta fuiſſet, absque dubio plura de ejus philoſophia depromere liceret. Facere autem non poſſum, quin quales ejus fuerint mores philoſopho prorſus digni magis referam ex Marco in vita ſua. Tribuit ei comitatem, gloriæ contemptum, dicit ut tulerit injuſte ipſum reprehendentes neque convitium his repoſuerit. Quam paucis fuerit contentus, ut domo, lecto, veſte, cibo, famulatu. Quam tolerans laborum, quam leni animo, ut tempus uſque ad veſperam propter victus te-

tenuitatem egerit, hæc ibi. Nunc prodeant verſiculi de virtute Antonini:

Cyrrha Antonini differ per ſecula nomen,
Impavidum memora pectus, & ingenium.
Commenda niveos mores, cultumque Minervæ,
Rectum lauda animum, munificamque manum,
Et dic, Romulicum toto applaudente Theatro:
Dignus erat talem Marcus habere patrem.

Nec tamen omnia prolata ſunt philoſophiam Antoninianam commendantia. Dio namque apud Suidam Antoninum putat comparandum Numæ. At Numa natura duce philoſophatus eſt, condendo leges. Quin addit extraneis adeo fuiſſe admirationi, ut finitimi plerique barbari depoſitis armis ad hunc Imperatorem controverſias, liteſque deferrent, ejus ſententia dirimendas. Mortuus etiam eſt ut philoſophus, ſenex morte dulciſſima, ſomnoque jucundiſſimo ſimili, quod refert Xiphilinus ex Quadrato. Quæ adjicere placuit, ne quicquam poſſit deſiderari, quod ad commendandam Antonini ſapientiam facit.

Cap. CIV.

De Boetho Conſule, atque aliis philoſophiæ vacantibus ſub Antonino.

Illuſtrabit hæc narratiuncula Antonini erga philoſophiam affectum, ſi recenſuerit nonnullos egregios homines doctrina præſtantes, qui tunc temporis floruerunt Romæ, quando tenuit habenas rerum idem Imperator. Prodeat Flavius Boethus Conſul Romanorum, qui ſapientum hominum oppido delectabatur conſuetudine, ſicque mentis aciem

ad

ad diſcendum porrigebat, ut anatomicis adminiſtrationibus incumberet. Neque enim dici poteſt ſeipſum noſſe, qui non inſpexit cadaverum ſectionem admiraturus ſummi opificis ſummam ſapientiam. An quis profuit eam in rem præclariſſimo Boetho? Galenus, ut ipſe teſtatur cap. 1. lib. 1. de adminiſtrationibus anatomicis. Natus fuit in Ægypto Conſul iſte, pervenitque ad Conſulatum, adeo erat benigna omnium mater Roma, ut peregrinos civitate donatos ad apicem ipſum Conſulatus non dubitaret evehere. Sed audiamus Galenum, ut intelligamus, quanto amore Boethus hiſtoriam anatomicam proſequeretur: *Tam Anatomicæ ſpeculationis amore flagrabat, quam mortalium qui vixerunt unquam, ullus alius.* Cui tradidit Galenus de adminiſtrandis confectionibus opus libris duobus comprehenſum, idem teſtatur ſe in ejus gratiam multas confectiones oſtendiſſe.

Flavio Boetho adnectendus venit Eudemus Peripateticus, cujus idem Galenus meminit, nec ſilentio involvendus Sergius Paulus Conſul, qui etiam præfectus urbis fuit, quique diſciplinis philoſophicis per omnia præcipuus extitit.

Quid referam Alexandrum Damaſcenum qui aliquamdiu Romæ egit transgreſſus deinceps Athenas ad Profeſſionem Peripateticæ philoſophiæ, ſi fides habenda eidem Galeno? Vides autem merito vocari Damaſcenum, ne confundatur cum Alexandro Aphrodiſio itidem Peripatetico, aut cum alio Alexandro ſectatore dogmatum Ariſto-

riſtoteleorum, qui maximus dicitur fuiſſe præceptorque Crasſi Conſulis profecti infelicibus auſpiciis contra Parthos, ut ſciamus non expertem philoſophiæ fuiſſe Craſſum, lubenterque Peripateticis aures præbuiſſe.

INDEX I.
CAPITUM.
OBSERVATIONVM SACRARVM,

Cap. I. De Saule Rege annum nato, 1.Sam.XIII,1. pag. 1.
II. De Ænei diametro maris. 20.
III. De judæorum in rebus Antiquitatis erroribus. 27
IV. De Azazelis appellatione. 49
V. De Ononychoto, Chriſtianis affičto Numine. 64.

PHILOSOPHIÆ APVD ROMANOS.

Index operum Gaudentii. pag. 82.
Francuccii ad Gaudentium gratulatio. 84.
De Hiſtoria philoſophica diſſertatiuncula. 88.
Cap. I. Conſpectus ſucceſſionis philoſophicæ, exhibitus ex faſtis conſularibus, & chronologia. 92.
II. Initium philoſophiæ apud Romanos non eſſe ad Numam referendum. Confutatur fabula quædam de Pythagora. 100.

Cap. III. Augures Numæ nequaquam cum philoſophis eſſe confundendos. 103
IV. An ſub Tarquinio, aut tempore decemvirorum aliquid philoſophiæ illatum fuerit Romæ. 104.
V. Ex eo quod aliqui Antiquitus excantarent fruges apud Romanos, non eſſe colligendum fuiſſe ibi philoſophos. 105.
VI. An a Pythagoræorum cœtu pertigerit Romam philoſophia. 108
VII. Panætium Rhodium primum videri claruiſſe Romæ. Eum fuiſſe præceptorem Minoris Africani. 110.
VIII. Polybium a philoſophiæ Romanæ cenſu excludi non debere. 112.
IX. Memoratur Scipio Africanus ob philoſophiam. Nec omittuntur Lælius, Furius, & Gallus. 114.
X. De Senatus Conſulto, quo viſi ſunt pelli omnes philoſophi Roma, conjectura adverſus Gellium. 116.
XI. De Carneadis incredibili doctrina. Attingitur ſucceſſio ſcholæ Arceſilææ. 119.

Cap. XII. De Diogene Stoico, legato ad Romanos plura. Expenditur quoddam Stoicorum de Deo dogma. 121.
XIII. Nonnulla de Critolao proferuntur. Succesſio ſcholæ Peripateticæ, unde aliquid non parvi momenti colligitur. 123
XIV. Veteres Romanos caruiſſe Rhetoribus, eosdem Roma pulſos. Cur inutiles viſi? 128.
XV. De Q. Tuberone, Stoico ſimul & juriſconſulto. 129.
XVI. De L. Craſſo, Scævola, Sex. Pompejo, qui philoſophos audiverunt. 131.
XVII. Libere tandem Romæ admiſſam fuiſſe philoſophiam. Eam non repugnare imperio. 133.
XVIII. Eloquentiæ comparandæ cauſa Romanos amplexos philoſophiam. Conqueritur Autor de neglecta Philoſophia Platonis. 135.
XIX. Lucullum foviſſe philoſophos. De Antiocho, & Philone. 137.
XX. De Tyrannione, a Lucullo capto. 139.
XXI. De Sylla transferente Ariſtotelis libros Romam. 140.

Cap.XXII. De obſcuris quibusdam philoſophis ante Ciceronem. 142
XXIII. De M. Craſſi peripatetica philoſophia. 145.
XXIV. De Alexandro M. Craſſi præceptore. Deque contemtu gloriæ & divitiarum. 147.
XXV. De M. Bruto, ejusque verbis ultimis. 150.
XXVI. De Caſſio Epicureo, deque ἀδιαφορία Ciceronis. 153
XXVII. De Catio, qui ſcripſit de re Culinaria. De luce quædam. 156.
XXVIII. De M. Piſone, & Staſea Neapolitano. Quam lubenter Romani Athenis viderent ſedes philoſophorum. 160.
XXIX. De T. Lucretio. 162.
XXX. De Cotta pontifice. 165.
XXXI. De Nigidio Figulo. 167.
XXXII. De C. Vellejo, ejusque contra Platonem & Zenonem diſputatione. 170.
XXXIII. De Lucilio Balbo, & Deo Stoicorum, non confundendo cum anima mundi Platonicorum. 172.
XXXIV. Verſiculi de Nigidio, Cotta, Lu-

Lucilio, Vellejo. 175.
C. XXXV. De Varrone, philoſopho. 177.
XXXVI. De Cicerone. Poſſe eos, qui Reipublicæ præſunt, etiam vacare philoſophiæ. 179.
XXXVII. De Pompejo M. Poſidonio, Cratippo, Valerio. 182.
XXXVIII. De M. Catone. 184.
XXXIX. De Diſputatione Catonis cum Cicerone. De primo Domeſtico quædam. 188.
XL. De Pomponio Attico. An philoſophiæ ſit jungenda eloquentia. 191.
XLI. De J. Cæſare. 193.
XLII. An JCti Romani fuerint Stoici. 194.
XLIII. JCti videntur ſenſiſſe cum Platonicis & Peripateticis. 197.
XLIV. De Chaldæis Roma pulſis. 199.
XLV. De Chaldæis ſub Imperatoribus. 201.
XLVI. De M. Favonio, Stoico. 203.
XLVII. De Auguſti erga philoſophos, Arium, Nicolaumque affectu. 204.
XLVIII. De Athenodoro. 206.
XLIX. De Athenæo, & Xenarcho. 208.
L. De Mæcenate. 210

Cap. LI. De Strabone. 211.
LII. De M. Manilio. Rejicitur opinio Gevartii. 214.
LIII. Homerus Romæ illatus, philoſophiæ inſtar. 216.
LIV. De Traſyllo. An Tiberius philoſophiam coluerit. 216.
LV. De Babillo. 221.
LVI. De Canio Julio, ejusque morte generoſa. 222.
LVII. De Philone, deque ejus allegoriis. 224.
LVIII. De Claudii imperatoris ſtudiis liberalibus. 226.
LIX. De Annæo Cornuto. 228.
LX. De Alexandro Ægeo. 230.
LXI. De Demetrio Cynico. Et more illuſtrium virorum, quando ſunt morituri. 231.
LXII. De Cœrano, aut Clarano. 233.
LXIII. Stoicum fuiſſe Thraſeam Pætum. 233.
LXIV. Seneca defenſus. 235.
LXV. De Senecæ temperantia. De divitiis ſecundum Stoicos. 237.
LXVI. De ſtatu ſectarum philoſophicarum ſub Seneca. 240.

LXVIII.*)De Celeris Egnatii ſcelere. 24.
LXIX. Vulgus vexat Cynicos. 24.
LXX. De baculo, pera, barba Cynicorum. De Sobrietate juvenum Stoicorum. 244.
LXXI. De Stoa. 246.
LXXII. De una Cynicorum & Stoicorum origine. Calumnia Juliani contra Monachos. 249.
LXIII. De Apollonii Tyanei adventu Romam. De Teleſino Conſule. De Nerone. Philoſtrati fides parum tuta. 252.
LXXIV. De Dionyſio Alexandrino. 255.
LXXV. De Helvidio Priſco. 256.
LXXVI. De Veſpaſiani cum Apollonio Tyan. colloquio. 261.
LXXVII. Joſephus inter Philoſophos. Defenditur contra Salianum & Maſcardum. 263.
LXXVIII. De Tito, & Plinio. 273.
LXXIX. De Muſonio Tuſco. Error Suidæ. 274.
LXXX. Philoſtrati quædam de Tito dubia expenduntur de lepore marino, & Veſuvii incendio. 276.
LXXXI. De Julio Agricola. 280.

*) Errore typographi Numerus LXVIII, poſitus eſt pro LXVII.

Cap.LXXXII. De Domitiano in exilium agente Philoſophos. 281.
LXXXIII. De Deciano. 282.
LXXXIV. De Trajano,& Dione. 284.
LXXXV. De Tacito, Cenſura Famiani Stradæ. 286.
LXXXVI. An Tertullianus appellaverit Tacitum loquaciſſimum mendaciorum. An Tacitus adulator. 293.
LXXXVII. De gravibus Taciti Sententiis. 297.
LXXXVIII. Taciti quædam dicta politica expenſa. 304.
LXXXIX. De Plutarcho,& mundi origine juxta Platonem. 309.
XC. Plutarchus etiam in phyſica doctus. 313.
XCI. De Chryſippo. 318.
XCII. De Hadriano. Etiam de Cardinale Richelieu. 319.
XCIII. De Favorino. 321.
XCIV. Non conſuluiſſe dignitati Hadrianum,dum voluit videri ſuperare Philoſophos. 322.
XCV. De Philoſophis Alexandrinis, quibus favebat Hadrianus. 324.
XCVI. Philoſophia comem reddit Hadrianum. 325.

XCVII.

Cap. XCVII. De Adriano cupiente perſuadere animam Antinoi abiiſſe in ſidus. 326.
XCVIII. Hadrianum de ſua vita ſcripſiſſe libros. De Phlegonte liberto. 327.
XCIX. Adrianus addit philoſophiæ Magiam. 329.
C. De Euphrade Philoſopho. 330.
CI. De Herode Attico. 331.
CII. De Gellio. 332.
CIII. De Antonino Pio. 333.
CIV. De Boetho Conſule, atque aliis Philoſophiæ vacantibus ſub Antonino. 336.

INDEX II.
AUTORUM.

Abarbenel. 6. 51.
Apulejus. 177. 244.
Arrianus. 259.
Baſnagius. (Sam.) *85.
Bochartus. 52. 62.
Canus. 267.
Capitolinus. 335.
Caſtalio. 14.
Celſus. 73.
Cicero. 100. 101. 110. 111. 114. 115. 122. 126. 130. 132. 136. 138. 142. 144. 151. 154. 157. 160. 161. 165. 167. 178. 180. 182. 185. 186. 188. 195.
Clemens Alexandrinus. 124 126.
Cramerus (de ara exter.) 34
Crojus. 69. 71. 78.
Cujacius. 74.
Deylingius. 23. 53. 63.
Dio. 152. 210. 228. 322. 325. 326. 330. 336
Dio.

Diodorus Siculus. 70.
Druſius. 13.
FRiſchmut. 42.
GEllius. 116. 128. 131. 195. 281. 332. 333.
Glaſſius. 55.
Gothofredus. 74.
Grapius. 69.
Guſſetius. 55.
HAmm. (*de ara aurea*) 39
Haſæus (*Theod.*) 70. * 82.
Heraldus. * 82.
Heſychius. 139.
Hillerus. 55.
Horatius. 145. 157. 217.
IArchius. 36.
Ioſephus. 263. 271.
Julianus (*Imper.*) 205. 209. 250.
Iunius (*Franc.*) 72.
Iuvenalis. 284.
KOrtholtus. 69.
LAertius. 154.
Ligtfoot. 44.
Livius. 101.
Lucianus. 251.
Lundius. 42.
Lutherus. 8.
MAcrobius. 169.
Maimonides. 31. 36.
Marcellinus (*Amm.*) 104. * 194.
Martialis. 282.
Martyr (*Petr.*) 22.
Maſcardus. 264. 293. 294.
Meyeri *Seder olam.* 6.
Minutius Felix. 73.
Moinius. 79.
Morellus. 80.
PErſius. 243. 245. 246.
Philo. 111.
Philoſtratus. 232. 253. 261. 274. 277. 324.
Photius. 70. 314.
Plinius. 188. 284.
Plutarchus. 101. 129. 134. 137. 141. 147. 148. 184. 205. 310. 314. & ſqq.
Polybius. 110.
QVintilianus. 129.
REime (*Gottlieb*) 10. 11. 12.
Relandus. 23. 31.
Rhenferdius. 46.
Rigaltius. 76.
SAlianus. 264.
Scaliger. 13.
Schikardus. 31.
Scholiaſtes. 13.
Seldenus. 31.
Seneca. 106. 152. 221. 222. 231. 237. 240.
Sheringhamus. 41.
Spanhemius. * 81.
Spartianus. 322. 324. 328. 329.
Spinoſa. 26.
Strabo. 208. 209. 286.

Sueto-

Suetonius. 129. 200. 201. 204. 219. 226. 227. 276. 281.
Suidas. 106. 112. 206. 230. 275. 284. 309.
TAcitus. 203. 219. 231. 233. 234. 241. 257. 274. 275. 280. 282. 287. 298. & ſqq. 304.-- 309. 328.
Talmud. 28. 30. 31. 33. 40. 41. 47.
Targum. 5.
Tertullianus. 66. 293.
Torniellus. 22.
Tremellius. 9.
VAlerius Maximus 200.
Vellejus. 112. 115.
Voſſius.(*Gerb. joan.*) 73. 86.
Voſſius (*Iſaac.*) 77.
XIphilinus. 334.

INDEX III. RERUM.

Αδιαφορία Ciceroniana. 154.
Aenei maris diameter vid. diam.
num Hexagonum 23. 24.
Circumquaque rotundum. Ib.
Agricola Iulius philoſophus. 280.
Alexander Ægeus Neronis præceptor. 230.
Alexander Aphrodiſius. 124. 125.
Alexander damaſcenus 337.
lexander Peripateticus 147.
Alexandrini philoſophi. 324.
Andronicus Rhodius. 141.
Annæus Cornutus. 228.
Antinoi animam in ſidus abiiſſe credi vult Hadrianus. 326.
cur perierit. 329.
Antiochus Philonis auditor. 138.
Antonini pii laus. 334.
Apollonius Tyanæus Romæ. 253.
Ejus cum Veſpaſiano colloquium fictum. 261.
alia ejus cum Tito negotia expenduntur. 277. 278.
Arceſilas, ejusque Schola. 119. 120.
Ariſtotelis Schola. 123. 124.
ejus libri Romam transferuntur. 140.

Ariſtas, Bruti præceptor. 151.
Arius philoſophus. 205.
Aſini cultus judæis & Chriſtianis objectus. 69. 70.
aſinum num figuraverit *ononychotus*. * 82. 83. 84.
Athenas inviſunt crebro Romani. 162.
Athenæus. 208.
Athenodorus. 206.
Augures Numæ, nulli philoſophi. 103.
Auguſtus philoſophiam amat. 204.
Azazel, ſ. hircus emiſſariu
Num per pontem eductus. 40.
Num alligata ipſi vitta coccinea. 41.
Num diabolus. 50. 51.
Num populus rebellis. 51.
Num mons. 52.
An vox Arabica. Ib. 53.
An locus in deſerto Arabiæ. 53. 54.
Azazel notat hircum abeuntem. 55.
qui dicatur, *Sors Azazeli* 56.
in *laazazel* lamed abundat, vel nomen eſt proprium. 58. - 61.
difficultates expediuntur. 62. - 64.

B*Abillus* eques, philoſophus. 221.
Bemolcho, במלכו, quid. 4. 9.
Ben Schana, בןשנה, *filius anni*. 3. 11.
Boëthus Conſul, fautor philoſophiæ. 336.
Brutus Marc. Platonicus. 151.
an moriens virtutem culpaverit. 152.

C*Æſar* Julius Aſtronomus. 193.
Canius Julius mortis contemtor. 222.
Carneades. 119. 161.
Caſſius Epicureus. 153
Catius Epicureus, ſcripſit *de re culinaria*. 157.
Cato Cenſorius. 168.
Catonis Uticenſis philoſophia. 184.
ejus cum Cicerone diſputatio. 188.
Chaldæi Roma pulſi. 199.
de iis alia quædam. 201.
Chryſippus Stoicus. 318.
Ciceronis philoſophia. 179.
Claranus. 233
Claudius Imper. philoſophus. 226.
Cœranus. 233.
Combuſtionis apud Judæos fictum ſupplicium. 28.

Cotta

Cotta Pont. Academicus. 165.
Craſſus (L.) philoſophiæ deditus. 132.
Craſſus M. peripateticus, cur contemſerit ſigna adverſa. 145.
Crates. 250.
Cratippus. 183.
Critolaus. 123.
Crux num in *unctione* Pontificis adhibita. 31.
Cynici vexantur a vulgo. 243.
de eorum baculo, pera, barba. 244.
alii mores. 251.
de eorum cum Stoicis convenientia. 249.
D*Ecem viri*, an ſub iis philoſophia in Italiam ducta. 105.
Decianus Stoicus. 282
Demetrius Cynicus, ejusque mors. 231. 277.
Diametri ænei maris ad peripheriam proportio non exacta cenſetur. 21.
an mechanica dimenſione. 22.
oſtenditur diametrum non eſſe diametrum peripheriæ a ſcriptura notatæ. 25.
Dio, philoſophus. 284.
Diogenes Stoicus. 121.
Dionyſius Alexandrinus. 255.
Divitias non eſſe bonas putant Stoici. 237.
Domeſticum primum quid. 190.
Domitianus in exilium agit philoſophos. 281.
E*Gnatius* Celer Stoicus, ejus ſcelus. 241.
Epicurus. 145.
Eudemus. 337.
Euphrades Philoſophus. 330.
F*amianus Strada* perperam Tacitum reprehendit. 290. & ſqq.
Favonius Stoicus. 203.
Favorinus. 321.
Filius anni, quid. 3.
an *innocentem* notet. 5. 6.
Francuccius (Leo) *de Bezzolis.* 83.
ejus ad Gaudentium gratulatio. 84.
Furius Philoſophus. 115.
G*allus*, philoſophus. 116.
Gaudentii Paganini opera. 81.
laus. 84.-86.
diſſertatio de philoſophiæ apud Romanos initio & progreſſu. 88-91.
Carmina quædam. 98.
&c.
Gellius inter philoſophos. 332.

Gevartii opinio rejicitur. 214.
Gymnaſium Athenienſe. 161
H*Adriani* diſcendi deſiderium. 319.
Græculus appellatur. 320.
voluit videri ſuperare philoſophos. 322.
favet philoſophis Alexandrinis. 324.
philoſophia comis evadit. 325.
Vult credi Antinoi animam in ſidus abiiſſe. 326.
Scripſit libros de ſe. 328.
Magiam addit philoſophiæ. 329.
Cur Antinoum perdiderit. Ib.
Helvidius Priſcus Stoicus 256.
Hermodorus. 105.
Herodes Atticus. 331.
Hiſtoria de evacuatione theſauri ſacri. 47.
Homerus Romæ illatus. 216.
I*Oſephus* hiſtoricus inter philoſophos. 263.
defenditur contra Salianum & Maſcardum. 264.
Iurisconſulti an fuerint Stoici 195. videntur fuiſſe Platonici vel Peripatetici 197
L*Abeo* ICtus 195.
Lælius, philoſophus. 115.
Leges XII. tabularum. 196.
Leporis marini venenum. 278.
Lingua Coccinea, figmentum judaicum. 41.
Lucilius Balbus Stoicus. 172.
Lucretius philoſophus. 162.
Lucullus philoſophiæ cultor. 137.
Lux quidnam ex ſententia veterum nonnullorum philoſophorum. 158.
M*Æcenas*, quæ dixerit de philoſophis. 210.
Magi, philoſophi. 103. 106. 107.
Magia. 106. 108.
Manilius. 214.
Marini tres. 148.
Mathematicorum Romæ conditio. 201.
Monachorum cum Cynicis comparatio. 250.
Mundi origo ſecundum Platonicos. 171. 310.
ſecundum Stoicos. 173.
anima mundi. ib. 174.
Muſonius Tuſcus exul ſub Nerone. 274.
N*Icolaus* Damaſcenus. 205.
Nigidius Pythagoræus, 167.

Numa Pompilius a Pythagora non eſt informatus. 100-- 103.
ejus Augures an philoſophi. 103. 104.

O

Nonychotus, idolum, ſub quo Chriſtianorum Deus traducebatur 66.
a Judæo non Apoſtata pictus. ib.
& quidem Romæ. 69.
Num ejus imago ex Diodoro. 70.
an ex Evangelio. 71.
recenſentur variæ lectiones hujus nominis, eæque refutantur, doceturque legendum *onony-chotus*. 72. ſqq.
non repræſentabat *aſinum*. 82.

P

Anætius. 110-112.
Peripatetica Schola. 123.
philoſophia. 145.
Philo. 138.
Platonicus. 224.
de eo judicium. ib.
Philolaus. 109.
Philoſophi num SCto Roma pulſi; quod Gellius refert. 116.
nonnulli obſcuri ante Ciceronem. 142.
a Domitiano expelluntur. 281.
an deceat philoſophum ad Rempublicam accedere. 311
Philoſophiæ apud Romanos initium & progreſſus. 88-91.
Conſpectus Chronologicus a Romulo ad Zenonem. 92-- 96.
num ſub Numa viguerit. 103.
num ſub Tarquinio vel decemviris. 104.
an à Pythagoræis Romam ducta. 108.
libere Romæ admittitur. 133.
non pugnat imperio. 134.
an cum eloquentia jungenda. 191.
Philoſtrati fides vacillat 254. 261. 262. 277.
Phlegon Trallianus. 328.
Piſo (M.) philoſophiæ cultor. 160.
Platonis neglecta Romæ philoſophia. 136.
de mundi origine ſententia. 171. 310.
Plinii ſecundi eruditio. 273.
Plutarchus. 309.
& in phyſica doctus. 313.
quædam ejus opiniones 314.
Polybius. 112.
Pompejus M. philoſ. fautor. 182.
Pompejus (Sextus) 132.
Pomponius Atticus. 191.

Poſidonius. 182.
Pyrrho. 154.
Pythagoras Numam non inſtituit. 100.
Pythagoræorum in Italia cœtus. 108.
R *Hetores* Roma pulſi. 128
Richelieu Cardinalis laus. 320.
S *Ammael.* 50.
Samuelis libri ſtylo conveniunt librisRegum. 16
Saul non potuit eſſe annum natus in initio regiminis. 2.
num inſtar infantis inſontis. 5.
num Multum temporis inter unctum & reſtitutum interfuerit. 6.
num ætate provectus. 11.
ejus ætas quare a propheta omiſſa. 17-20.
Scævola. 132.
Scipio Africanus. 114.
Schola Arceſilai. 119.
Ariſtotelis. 124.
Scriptura ſ. Deum agnoſcit Autorem. 19.
non ſemper negligit minutias. 22.
Scripturæ ſ. loca illuſtrata
Exod. XXX, 34. 35.
Levit. XVI. 8. 56.
9. 57.
10. 58.
22. 44.
I. Sam. XIII, 1. 21
I. Reg. VII, 23. 25.
Jeſ. I. 18. 42.
Seneca defenditur. 235.
ejus mors. 236.
temperantia. 237.
ſub eo qui floruerint ſectæ philoſophicæ. 240.
Sextii philoſophi. 240.
Soranus. 241.
Stafeas Neapolitanus. 160.
Stoæ deſcriptio. 246.
Stoicorum abſurda de origine mundi & Deo ſententia. 122. 173.
an ejus ſectæ fuerint ICti. 195.
eorum de divitiis mens. 237.
florent. 240.
tenui victu contenti. 246.
parum differunt a Cynicis. 249.
Strabo cujus ſectæ philoſophus. 211.
Suffitus ſacer quibuſnam aromatibus conſtiterit. 25.
figmenta judaica. 36-39.
T *Acitus* inter philoſophos. 286.
an Epicureus. 287.
defenditur contra Famianum. 290.
an Tertulliano notatus. 293.
an adulator. 296.

ejus

ejus graves ſententiæ. 297.
quarum quædam exponuntur. 304.
Tarquinius Romæ non induxit philoſophiam. 104.
Teleſinus Conſul favet philoſophis. 253.
Tertullianus an Tacitum notaverit. 293.
Thraſeas Pætus. 234.
Tiberius an operam dederit philoſophiæ. 218.
Titus Cæſ. philoſophus. 276.
an noluerit ob judæos coronari. 277.
qua morte perierit. 278.
Trajani affectus erga philoſophos. 284.
Traſyllus. 218.
Tubero Stoicus. 129.
Typi unde ſumendi. 46.
Tyrannio, qui & Theophraſtus. 139.
UNctio Pontificis m. non peracta forma crucis. 31-35.
V*Alerius* philoſophus 183.
Varro. 177.
Vellejus Epicureus. 170.
Veſpaſianus an cum Apollonio locutus. 261.
Veſuvii incendium ſub Tito, quid portenderit. 278.
X*Enarchus* philoſophus. 209.
Z*Eno* Citienſis. 249.
Zeno Sidonius. 166.
Zuck, mons, quorſum Azazel deducebatur, fictus. 44.

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI
VA 1 1520 129

Digitized by Google

Google